WiMBP
Opole
2102 st

I

K-457/74/st.

PHARMACIA
IO. FERNELII
cum
GVILEL. PLANTI
&
FRANC. SAGVYERI
Scholiis:
In vsum
PHARMACOPOEORVM
nunc primum edita.

HANOVIÆ
Typis Wechelianis, apud
Claud. Marnium & hæredes Io. Aubrii.
M. DC. V.

457/24

GENEROSI SANGVINIS
&
Nobilissimæ indolis
D. MATTHIÆ
ZALKOWIO
à ZALKOWICZ
GEN. D. IOANNIS
ZALKOWI à ZALKOWICZ
DOBROMILICI, BRODECI &
BLANSKO Domini,
Filio vnico
Hanc
PHARMACIAM
in noui ineuntis fœliciss.
ANNI M. DC. V.
auspic.
CASPAR. BAVHINVS
Anatomic. & Boianicus
ACAD. BASIL. PROFES. ORD.
officii & amor.
mon. offert.

EPISTOLA.

VOT *quamq; diuersis morbis humanum genus, partim propter intemperantiam, partim propter peccata, corripiatur, Generose & Nobilis Domine* ZALKOWI, *notius est quam vt explicatione egeat. At* DEVS *clementissimus, humani generis misertus, tot morbis curandis, tot plantarum genera & species viribus differentes, creauit: quibus ii fœliciter vtuntur, qui earum veram cognitionem & virium earundem notitiam habẽt. Vera aũt Simpliciũ, tam plantarum quam metallorũ, cognitio, ex inspectione frequente, vt recte Galenus* 1. *de Antidot.* 2. *docuit, habetur:*

quare veros Medicos non ex libris fieri Aristoteles 10. ethicor. 10. scripsit: quoniam sensibilium cognitio, sedula inspectione confirmatur, Galeno 2. de compos. Medic. sec. gene. 2. teste. Quare Medicum, si suo officio rectè defungi volet oportet in vniuersum omnium stirpium, aut saltẽ plurimarum, peritum esse, vt cum Galeno 1. de Antidot. 5. loquar. siquidem medicaminum compositorum virtus, simplicium vires sequatur, differentia quadam exigua in ipsa compositura ratione obueniente. Materias nãque medicamentorum qui non nouit, medendi methodum verbotenus (inquit. Galenus 3. cõpos. medic. secund. gen. 2.) sciet, opus verò nullum ipsa dignum perficiet. At medicamentorum materia, vel à stirpibus, vel à metallis, vel animalibus (ex 1. comp. me-

me dic. secũd. gen. 2. & 6. simpl. 1.) discernitur. Quare horum cognitionẽ Medicũ, ne Pharmacopæo, quem docere hæc debet, medicam. vetulis indoctior sit, habere conuenit. Etsi verò affectui simplici simplex remediũ, morbo tamen cõtrarium, opponatur: cum tamen rarò simplex morbus detur, sed morbi vario modo complicentur, simplex remedium sufficere nequit: cum remedium viribus cum morbo æquale esse debeat; Galeno 4. simplicium docẽte. Quare hæc Medicos coegere vt non solum simplicibus vterẽtur, sed etiam compositis. Sunt autem tria quæ suadent vt Medici cõpositis vtantur. Primo, morborum seu affectuũ varietas: quia morbi quidam ex diuersis complicantur, vel totius corporis, vt febris essentialis cum phlegmone: vel partium diuersarum,

vt cum dolor colicus & nephriticus simul afficiunt: vel cum vnius partis morbus complicatus est, vt vlcus cum intemperie, tumore, cauitate: his affectibus, cum diuersæ inter se sint naturæ, simplex remedium par esse nequit. Sic causarum mortificarum cõcursus compositionis necessitatem inducit: docent hoc causæ febrium spuriarum: siquidem vbi bilis flaua, cum pituita, aut contra, vel cum alio quodam humore putrescit, ad humoris vtriusq; & præparationem, & purgationem remedio composito opus est. Sic & morbi causa, ab ipso affectu sæpè diuersa est, vt pituita frigida & humida, quæ febris quotidianæ causa est, diuersa est à febre quæ calida est & sicca: quare pituita frigida, calefacientib. crassa attenuantibus, lenta incidentib. & detergẽtib. indiget: febris

vero

vero calida & sicca, refrigerãtib. & humectãtib. Sic & Symptomatis magnitudo, ab ipso affectu aliud remediũ sæpe postulat, vt virũ imbecillitas in febre ardẽte, vinum requirit, contra febris prohibet. Altera causa est corporis totius, & partis affectæ natura: nam cum in morbo curando duo sint spectanda, Gal. 8. methodi tradente, vt quæ secundum naturam sunt, cõseruentur: quæ verò præter naturã, auferãtur: quare si corpus natura humidum, morbo humido laboret, minus exsiccandum, ne temperies congenita labefactetur, proin exsiccantibus efficacioribus, humectantia admiscenda. Sic quoad partẽ affectam, exempli loco sit Hepar scirrhosum: affectus, emollientia requirit: pars verò, cum emollientibus etiam adstringentibus indiget roboris sui gratia,

quo actionem suam obire possit. Tertia causa est, medicamentorum penuria: non rarò enim deficit, vel ad affectum simplicem, aut si ad manus sit vel vehementius, vel debilius esse potest: si vehementius, tum vis eius refrœnanda: si leuius augenda, idque alterius admistione, vt sic remedium ipsi affectui & morbo viribus æquale sit. Adde quod sæpe remedium simplex, sapore vel odore displicet, vel consistentia molestum est, quæ aliorum accessione emendare oportet. His accedit simplicium conseruatio, quæ in multis citra mixtionem fieri non potest: exempli loco sint Herbarum succi, qui nisi inspissentur, diu conseruari nequeunt. Hæc sunt quæ antecessores nostros incitarunt, vt varias & diuersas medicamentorum formas, Pharmacopoeis primum prorè nata præscri-

præscriberent: dein in communem usum Pharmacias, Antidotaria, seu vt vulgo vocent dispensatoria, publici iuris fecerint. Quod primo à Gracis factitatum, inter quos præcipuus est Galenus, ex quo Ægineta Otibasius & Ætius sua transcripsere pleraque: Myrepsius: dein à Latinis, Cer. Celso, Scribonio Largo & Actuario: tum ab Arabibus, Mesueo, Rhasi, Serapione, Damasceno, Auicenna & aliis. Hos imitati sunt plures diuersarum nationum viri præstantes, qui vel in communem vsum, vel in vsum propriarum Rerumpublicarum, hoc testarunt. Verum hactenus apud Germanos & Belgas plerosque, Pharmacopæi, Valerii Cordi dispensatorium secuti sunt: apud Gallos Syluii, Fernelii, Rondeletii & Broderonis: apud Italos qualibet fere vrbs proprio An-

tidotario vtitur, vt Roma, Florentia, Bononia, Ferraria, Mantua, Bergamum: quemadmodum apud Germanos, Augustani, & Colonienses. Verum cum Io. Fernelius, præparationes elegantissimas in sua Pharmacia exhibeat, quas nunc plures Medici, tam Germani quã Galli & quidem rectè imitentur: æquum fit vt in Pharmacopoeorum vsum hæc Pharmacia seorsim ederetur: & id, ne Pharmacopæi huius libelli lectionem intermitterẽt potius, quam vt tantos sumptus in omnium operum Fernelii coemptione facerent. Hæc animo voluens (vt qui in vsum & studiosorum & Pharmacopæorum nihil intẽtatum relinquam) adpositè hæc Io. Fernelii Pharmacia, cum Guilelmi Plantii nepotis sui Scholiis, additisque electiss & hactenus non editis Francisci Saguyerii Ambiani, medici Galloburgundi, annotationibus, ab ingeniosissimo & in arte sua doctissimo D. Ioanne Legros Cuffiensi, apud Lingonenses Burgundos pharmacopæo diligentissimo, ab ipso & descripta & in ordinẽ digesta ad me mittitur. Libellum hunc cum perlegisse, & iuniorib. Medicis & præsertim Pharmacopæis, vtilem fore cum animaduerterem, typographo cudendum tradidi: partim boni publici causa, partim vt testarer inter bonum illum senem doctorem Saguyerium, cum ad huc in viuis esset: & quidem ante annos octodecim, amicitiã intercessisse: partim denique quo optimi viri Ioannis Legros petitioni satisfacerem.

At quo libellus hic Philiatris & Pharmacopæis gratior sit, sub tuo, GENEROSE IVVENIS, nomine pro-

dente erudito viro D. IOAN. PRESSIO, *Medicinæ candidato. Ephoro tuo fidelissimo & optimo: ad quod tibi, Generosi animi iuuenis, à* DEO *omnium bonorũ largitore Spiritũ Sanctum exopto & iam iam ineuntes noui anni fœlicem ingressum, fœliciorẽ suo gressu, fœlicissimum denique exitum, & multorum subsequẽtium ex animo precor, meq; totum tibi offero: Vale & ita viue, vt post viuas.* BASILEÆ XVII. KAL. IAN. VAR. *Anni* MDCV.

OMNI-

OMNIBVS MEDICINAM EX DOCTRINA HIPpocratica & Galenica profitentibus in amplissimo Galliæ Regno

FRANCISCVS SAGVYERIVS Doctor Medicus. S.D.

QVAM primum ad medicinæ praxin animum adieci, decurso stadio theorię, Is mihi fuit scopus præcipuus, vt aliquem viæ ducem eruditum & expertum deligerem: quod dum conor obtinere, tres pro vno sese obtulerunt, Ioannes Fernelius, Iacobus Syluius & Guilelmus Rondeletius, a quorum primis duobus, artis Apollineæ rudimenta sum consequutus, à trium postremo eiusdem complementum, si quod in me est eius vestigium accepi. in hoc triuio aliquandiu suspensus animo restiti, sed tandem Fernelium mihi proposui imitandum, aliis duobus non negle-

ctis: quorum memoria est ac erit perpetuò omnibus veræ & antiquæ medicinæ professoribus venerabilis & sacrosancta, quicquid garriant mateologię paracelsicę & spagiricę defensores ac patroni. Iacobi Syluii, aliquãdo nostræ artis professoris eximii Lutetiæ, Libros medicamentarios non semel legi, quemadmodum & officinam Guilielmi Rondeletii, in iisque me multum profeciſſe fateor ingenue sed eum quem scripsit Fernelius cæteris præponendum censui, vulgò dictum dispensarium, quoniam certo ordine proponat, & dispenset formula, medicamentorum, quæ compoſita seruantur in Pharmacorum apothecis, ad ægrotos subleuandos. Quę autem talis delectus mihi fuerit causa, paucis expediam. Syluium breuius & obscurius hanc rem explicuiſſe iudico. Interim tamen eius scripta & Medicis & Pharmacopœis multã lucẽ allatura profiteor, siquidẽ de medicamentorum delectu & debita præparatione

ratione doctiſſimè scripsit: Rondeletio autem non licuit quæ de hac materia sub finem suæ praxis medicę adiecit, prout exoptabat emendare propter occupationes quotidianas in docenda & exercenda noſtra arte: obruebatur enim & ægrotorum & discipulorum numero, vt reſtari bona fide possum, & sciunt omnes qui eius fuerunt discipuli. Ioannis autem Fernelii liber medicamentarius ab ipso diligenter est recognitus, atq; à Plantio Pariſienſi Medico scholiis non pœnitendis illuſtratus, regiaque authoritate quemadmodum & alii libri Therapeuticæ methodo subseruientes, confirmatus. Imò & eius de Phyſiologia & Pathologia nunquam satis laudatæ explicationes Regis Henrici Secundi, cuius fuit ἀρχιατρός, iuſſu, sunt exaratæ, earumque author toti Galliæ necnon & exteris, fuit admirationi. Pauca etiam ego annotaui quæ mihi potiſſimum prodeſſent in facienda medicina, ita tamen, vt non in-

uiderem aliis, qui de meo qualicunque labore fructum aliquem capere possent quod fortasse consequentur pharmacorum præparatores, qui more solito medicamenta parant ac dispensant, parum soliciti de spagirica industria, quod ea paucis veræ medicinæ professoribus sit in vsu: & de qua disserui amplissime in mea Apologia pro medicis Hippocratis & eorum ministris, aduersus totum gregem Paracelsicum, qui nostros apparatus ridet. Vos itaque obsecro, Galenicæ doctrinæ cultores, vt has meas qualescunque vigilias æqui bonique consulatis, & me vestrum συσπαστὴν à calumniis innouatorum defendatis. Valete per Iesum Christum.

IOAN.

IOAN. FERNELII PRÆFATIO.

PRæclaris olim viris qui tùm medicinæ tum chirurgiæ vsu & exercitatione celebres euaserunt, præcipuam curam, summumque studium fuisse comperimus, vt ad difficiles quosque affectus peculiaria sibi remedia quasi thesauros reconderent, vt fœlici operum successu, nominis sui dignitatem & gloriam augerent atque tuerentur. Ea licet vnusquisque domi conficienda curaret, & tanquam arcana haberentur, tempore nihilominus, annorumque numero, aut morte, aut precibus, aut precio, aut cõmutatione, aut aliis plarisque modis cognita, inuulgataque fuere. Hinc verò alii publicis mortalium cõmodis potius addicti, sparsas medicamentorum compositiones quæ iam passim innotuerãt, congerendas esse duxerunt, operamque nauarunt vt è celeberrimis authori-

bus optimas & quamplurimas in Libros quos iam medicamentarios referrent. Ita quidem Scribonius Largus & Actuarius & Nicolaus Mirepsus & Nicolaus Præpositus opera sua concinnarũt. Hoc labore fieri haud potuit, quin ex variis authoribus complures non admodũ dissimiles in eundem vsum compositiones adducerentur, vt syrupi effectus eiusdem & pharmaca multa ex Aloe, nec pauciora è scammonio, aut è colocynthide, aut turpetho, quæ sola componendi ratione, aut simplicium quorundam varietate distant, & electuaria quoque & emollientia, & detergentia multa, quorum præcipua vis ex aruginе est, & quæ aliorum simplicium sola immutatione variant, vt est cuiusque authoris arbitrio concessum. Sic igitur multa tandem congesta fuere, quorum pars maxima ociosa est & superuacua. Conducibilius autem erat in quouis genere optima quæque seligere, cæteris vt inutilibus prætermissis: Sed & hac remediorum congestione affectus complures omni ope destituti manent, ad quos

quos nimirum non satis accommodata remedia inuenta fuissent. Ea siquidem multorum hinc inde colligendi cura, empirices quodammodo imitatrix & æmula, nullo delectu, nullaque methodo adhibita, nec morbis, nec symptomatis, nec eorum causis remedia accommodauit, nec eorum genera ex illorum differentiis constituit. Neque prætcrea quid vnaquæque compositio aut vtile aut superuacuum, aut gratum, aut insuaue cõtineret, vsquam expendit, sed quales ab indoctis plerisque viris vsurpatæ fuerunt nullo adhibito iudicio recepit atque comprobauit. Ex his quoque plurimas nonnulli suo quique arbitrio inuerterunt atque deprauarunt; vix vt nunc vlla restet Pharmacopœis certa componendi ratio, & nondum rata aut stabilita sit ea Medicinæ pars quæ inprimis est ad curãdos morbos necessaria. Hoc cum multi passim reformandum esse iudicarent, dedi operam vt compositiones quemadmodum & superiore libro simplicia arte traderentur, & quæcunque vtiles vsuque

faciles existunt pristinam formam retinerent: quæ verò distorte recta censura in meliorem formam aptarentur, nec quicquam aut supereſſet aut deeſſet ad morbos, eorumque cauſas & ſymptomata profligandā, neceſſarium Itaque non omnes veterum monumentis tritas compoſitiones ſed præcipuas duntaxat perſequor, nouas plerumque adiicio, vt opus omni medicamentorum genere compleam: plurimas circumcido quæ ſub his cōprehenſæ confuſam & indigeſtam multitudinem reddunt. Inuulgata earum nomina retinui, ſed non iiſdem vbique aut ſimplicibus aut ponderibus, quandoquidem vt curandis morbis aptiores eſſent atque ſuauiores, quædam in pleriſque commutanda fuerunt. Vt tandem Pharmacopœorum commoditati quodammodo reſponderem, in claſſem vnā ſyrupos, in alteram pharmaca, in aliam electuaria, & reliqua in ſuam quæque claſſem digeſſi, vnde rurſus deprompta facilè poſſint in medendi vſum referri.

DE SYRV-

DE SYRVPIS

Syrupus acidus ſimplex.

SYRVPVS acidus ſimplex omnes tum calidos tum frigidos humores præparat, & quodam robore attenuat, eorum putredinem coërcet, bilis ardorem, febriumque æſtus & ſitim lenit, obſtructas vias expedit, altè in omnia penetrat, vrinas ſudoréſque à purgatione ciet.

℞. aquæ puriſſimæ ℔. quatuor, ſacchari albi ℔. quinque, coquantur dum exſpumauerint & dum aquæ dimidium ſuperſit: actum affunde aceti vini albi. ℔. tres. Rurſus coquantur in ſyrupi craſſitudinem.

DE SYRVPIS PRÆFATIO FRANCISCI Saguyerii.

TRia Medicis ſunt in vſu frequenti quæ ſola cōdiendi ratione differunt, Iulebus, Apozema ſeu decoctum, & ſyrupus, quem Serapium vocant nonnulli vt

vt & Iulebum Zulapium. Sunt autem Syrupus & Iuleb voces Arabicæ & vt magnã partem compositionem ab Arabũ officinis deriuatã esse, docẽt earũ appellationes. Frustra igitur Fuchsius etymõ syrupi quærit ex Græco dũ Syriæ opium, id est succum, vocari putat: sed hæc sunt parui momẽti. Veteres græci præparabãt humores iisdem remediis, atque nos licet non omnibus, sed ipsa nõ tam diu integra conseruabant, nec adeo suauia reddebant, quòd saccharũ esset ipsis minus familiare, nec Gal. satis cognitum, succos herbarũ aquæ mulsæ miscebant. plãtas in aqua simplici coquebãt, & aliquãdo in oxymelite, ad purgãdi corporis apparatũ & viarũ mundationẽ, quæ idcirco φαρμακα & ceu præpotiones vocabãt, aut purgationi præuias potiones. Syrupos conseruat coctio perfectior, vt ad manũ sint quoties vtẽdi requiret occasio, & potissimũ hyeme, cuius frigida intemperies non permittit herbas, radices fructus, flores, semina & similia colligi posse. Hoc vnũ igitur inter cætera debemus Arabum familiæ, sed multo

multo magis summis, Ioanni Langio, Manardo, Syluio, Rondeletio, Fernelio, Iouberto, & aliis nostra ætate doctis Medicis, & purioris medicinæ Professoribus obstricti, qui Arabum inuẽta reddiderũt perfectiora: de quo qui dubitabit, legat Valerii Cordi dispensatorium vocatum, tanti factum a Medicis Norinbergensibus, vt nihil absolutius aut emendatius in hoc scribẽdi genere esse crederent. quod profecto, si quæ præcesserant Arabũ tenebris proxima consideremus, veritati consonum fatebimur. Sed si ad hanc Fernelii Pharmacopœiã respexerimus, prout res ipsa postulat, procul valere iubemus eiusdem Valerii, ignorantia & barbarie plenas emendationes: aut potius tenebris maioribus minores successisse dicemus. Eam ob rem vniuersos quibus hominũ salus commissa est Medicos, & Pharmacopœos atque Chirurgos, obtestor, vt illis abiectis, hæc recipiant & probent: Fernelii liber medicamentarius sit vnus pro omnibus, aliis, vt qui authorem habeat magni nominis Medicũ, Gallũ, Archi-

atrum regiũ scriptis clarissimis & praxi diuturna non solum Lutetiæ, quæ Frãcorum est metropolis, sed etiam Galliæ vniuersæ notissimũ & probatissimum. Exulent ab officinis Nicolaus Præpositus, Luminare maius, Valerius Cordus & omnes alii barbariei fautores, atque peregrinorum patroni, qui cum suis ducibus cæcis in foueam ignorantiæ deciderunt, a qua se educi nolunt, licet rogati. Id autem nemo me existimet proferre quod de veteribus mălè sentiam, aut eorum nomini detrectandum putem. Scio enim & fateor me multum illis debere. Verum hoc vnum conor à quibusdam impetrare, vel extorquere, rationem momentis grauissimis, vt Arabũ cloacis & obscurioribus atque barbaris præscriptionum innumerarum formulis abiectis, vnius Fernelii claras & latinas admittãt medicamentorum non minus vtilium præparationes. Hoc si fecerint, cognoscẽt experientia me esse bonum consultorem, qui nihil in arte quam profiteor, habeo pro scopo, quam cito, tuto & iucũde curare; quantũ morbi ratio

bi ratio & aliæ circumstantiæ Medico considerandæ permiserint: propter necessitatem enim creatam esse Medicinã ab altissimo docuit me sapientia, & Medicum idcirco honorandum, quod morbis imminentibus occurrere queat, & præsentibus subuenire, Dei auxilio, qui & Medicis scientiã cum integritate cõscientiæ, atque medicamentis facultatem concessit, vt saluti ægrotorum consulatur cui sit δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen

IN SYRVPVM ACIDVM SCHOLIA
Guil. Plantii.

SYrupos & Iulepos, multaq; alia tàm simplicia quàm composita medicamenta inuẽta Arabum esse vel appellatio ipsa barbara manifestò ostendit. Longo tamen antè tẽpore veteres græci & ex eadẽ materia & in eosdem vsus sua habuerunt Apozemata, quæ quòd præparandis ad purgationẽ tùm corporibꝰ tùm humoribꝰ accõmodarentur, propotismata ipsis sunt appellata, quasi purgationibus præuias potiones dicas, quòd recta medendi ratione viã medicamentis purgantibus sternant. Ita Galenus origanum, hyssopum, pulegium, calamitham in mulsa &

xymelite incoquit ad purgandi corporis præparationem. Et, si ipsi credimus, Archigenes, Antonius Musa, aliiq; complures prisci Medici ex cichorii, anethi, iridis, chelidonii, & similium herbarũ succis cum mulsa dulciculas eiusmodi potiones ægrotis cõficiebãt ad varios hepatis, aliarumq; partium affectus. Et Dioscorides radices comasque plantarum in aqua decoquit & feruefactum ius excolat: deinde vel per se, vel mulsa & melle dulcoratum exhibet, aut vt recõdatur, tamdiu decoquit dum ad mellis crassitudinem peruenerit. Vt hęc tria apozema, Syrupus, Iulepus solo conditurę modo inter se differant. In Apozemate enim prooterea quod pro re nata ex tempore ferè decernitur in tres quatuorue doses partiendum, ad condituram satis erit si sacchari aut mellis trientẽ recipiat, vt subtriplum scilicet saccharum sit ad excolatum decoctum aut expurgatum succum. Syrupum verò qui vt asseruari diu possit, perfectiorem cocturam desiderat, tantundem aut minùs aliquantò sacchari vel mellis obtinere par est, atque colati decocti aut purificati succi. His quia dilutior, penetrabilior & delectabilior Iulepus est, solùm propterea sacchari sextantem aut pro saccharo conuenientis syrupi parem modum recipere abundè fuerit, vt subduplus sacchari modus sit ad decoctum accommodatum aut aquas stillatitias.

His vero omnib. ex decoctis & succis plantarum

tarum & fructuum comparatis potionibus mel & saccharum adduntur, non ad cõseruationẽ solùm aut gustus & saporis suauitatem & gratiam, sed ob proprias etiam mellis & sacchari vires, quas ipsis impertiunt. Quum enim duo hæc quotidiano propemodum vsu consueta nobis sint & familiaria, non vt condimenta solùm, sed etiam vt cibaria, vtraque vtique ratione potiones quibus hæc admista fuerint, vires naturales in morbis sopitas & languentes excuscitant & erigunt, natiuumq; calorem, qui solus morbos concoquit & mitificat, recreant, crassaque extenuando & viscosa extergendo & obstructa expediendo purgationes quàm facilimas præstant. Atque hæc à melle & saccharo facultates eiusmodi potionibus accedunt, suas & ipsis ad varios vsus haud paruas vtilitates habentibus, quas singulis describendis auunculus ipse operis auctor declarabit, eo seruato ordine quem & componendi ratio postulat, & medendi methodus præscribit. Nam quum simplex prius natura composito existat, & recta adhibendorum remediorum ratio alia aliis ordine vsurpandis præponi velit, à simpliciorib & iis quæ rectà medendi via præmittuntur orationem exorsus est, eandem toto opere in cęteris rationem seruaturus, à Syrupo Acetoso simplici ducto initio. Nam Apozemata & Iulepos hoc loco silentio præterit, quod in præsentia de iis medicamentis solum sermonem

instituat quæ apud Pharmacopolas in lõgum tempus asseruãtur,& aliqui singularum partiũ morbis conuenientia Apozemata in alio libro sunt ab authore tradita Et quamuis cõdita quas cõseruas vulgò appellant,&ex herbis & fructibus condititii quidam succi ὑπνχυλίσμαθα græcis dicti simpliciores sint syrupis;ob eamque causam præponendi videantur:post purgationes tamen quia ferè instituuntur ad partium robur tuendum aut etiam conciliandum,ideò auctori consiliũ fuit in alium locum reiicere,ita scilicet medendi flagitante methodo.

Inuenti autem sunt Syrupi vt in promptu essent, quoties his vtendi occasio incideret: quòd herbæ earumque radices & fructus quouis tempore ad manum præstò nõ adsint &quũ suppetunt,vrgeat adeo necessitas interdum, vt ex his Apozemata & Iulepos parare non patiatur.Primo autem loco syruporum compositiones traduntur quæ præparãdis ad purgationem humoribus conueniunt:deinde vero quæ partium singularum expurgandis reliquiis,quæque tuendo ac conseruando illarum robori accommodantur. Atque hæc generaliter de Syrupis Particulatim vero syrupus acetosus simplex non è solo aceto & saccharo(quemadmodum & alii acidi) componendus erat, sed adiicienda fuit aqua quæ aceti vim & acrimoniam temperaret.

Cauendum ne pro aceto albo destillatum impo-

imponatur, quod acerrimum interiora omnia fecit non parua sumentis pernicie.

Cauendum etiam ne aceti plus adiiciatur, siquidem hæc mensura æquabilis visa est. Si quis autem aceti acorem suspectum habeat, ne penetrabili suo frigore molli carne corpora,quale puerorum & mulierũ, præcipuè quę in ipsis vterũ offendat[ὑστεραλγὶς enim acetum est Hippocrati]poterit vtendi tempore permistione aquę dulcis aut stillatitię aut etiam conuenientis decocti quàm dilutissimum syrupum hũc reddere,aut pro eo oxysaccharo vti. Syrupus acetosus cõpositus descriptus hic non est ne Pharmacopœos inani iactura onerẽ. Nam addita portione Syrupi è radicibus compositus euadet & in vsus eosdem aptus Id quidem auctori cõsilium fuit, compositiones omnium quam optimas ad summa quæque morborum causarumq; genera proponere,vt nihil prorsus maneat remediis destitutum. At vero,inanem & superuacaneam compositionum farraginẽ, vndique eorum more corrogare qui incompertis nec cõprobatis remediis inconsidèratè chartas implent,oneroſum nimis pharmacopœis,studiosis vero indistinctum & confusionis plenum fore existimauit. *Syr. aceti comp.*

In eundem syrupum acidum Franciſci Saguyerii Scholia.

Acidum vocant Aectosum vulgo,& qui se-

quuntur Meſuem eius ſyrupi authorem, acetum & ſaccharum clarificatum in aqua, tantum vſurpāt. Fernelius autem aquę adiectione aceti vim acrem temperādam cenſuit, per quam altius penetraret incidendo, & partes neruoſas læderet, atque potiſſimum vterum qui quaſi totus eſt membranoſus, vnde ipſum acetum ſuo idiomate ὑστερολὲς vocauit Hippocrates: nocet etiam corporibus molliorib⁹ puerorum, quò ſit vt in talib diluatur cōmodiſſimè hic ſyrupus aqua ſimplici limpida cocta & refrigerata, cum vtendi neceſſitas vrget. Acetū è vino albo requirit Fernelius, quoniam nō eſt adeo efficax in penetrādo quam è vino rubro, cæteris vt aiunt paribus, plus enim caloris eſt in rubro quam albo. Meſues acetū è vino citra diſtinctionem præſcribit: & in Syrupo acetoſo compoſito acerrimum poſtulat, eiuſque ℔. ij. cum aquæ ℔. iij. Fernelius autem hunc neglexit, quòd facilè ſit, addendo portionem ſyrupi è radicibus, compoſitum reddere: aut erit parandum decoctum ex iiſdem radicibus, & eius vnciis tribus addet medicus vnciam vnā & ſemiſſem acidi ſyrupi: Itaque ſuperfluum videtur tot ſyruporum congeriem ſeruari in officinis. Huius ſyrupi acetoſi vis eſt prę parare tam calidos quam frigidos humores & attenuare robur relinquendo partibus, quarū coercet putredinem: febrium ardores & æſtus lenit cum aliis ſymptomatibus quæ calorem

Acetum album.

Syr. acetoſi vti.

lorem præ ſe ferunt, obſtructas vias expedit, altè in omnia penetrans, atque vrinas & ſudores mouet purgato corpore: vnde licet colligere eius vtilitatem in febre peſtilenti & aliis morbis qui maligniratis notas præ ſe ferunt.

Syrupus è ſucco Limonum.

Syrupus Limonum minus quidem quam Acetatus extenuat ac penetrat, at bilis feruorem, corporiſque æſtum ac ſitim magis reſtinguit, & ardentium febrium putredinem, peſtilentiumque malignitatem magis cohibet: oris præterea ventriculi & cordis principumque partium robur tuetur, nauſeam, vomitionem, animi defectionem & ſyncopen arcet: peculiariter verò renes expurgat, & vrinam deducit.

℞. ſucci Limonum expurgati, & colo laneo ſponte ſua tranſmiſſi

℔. vij ſacchari albi expurgati ℔ v. lentè coquantur in Syrupum.

Plantius.

Syrupi de Limonibus, de Acetoſitare citri, de granatis acidis, de auranciis, de omphacio, è ſucco oxalidis, oxyacāthæ & de ribes: omnes quidem acidi, è ſuccis fiunt qui aut reſidendo aut colando clariores purioreſque ſint redditi, his deinde par ſacchari modus aut etiam minus additur ſine aquæ permiſtione, pro-

pterea quòd aciditas ea minimè infesta est, sed suauis & cardiaca. Et minus quoque dilueretur sacchari (quemadmodum in Iulepis) si diutius succi conseruari possent. Sunt qui succos præpurgant residendo & insolando, aut per spumantia albumina colando, aut etiam leuiter solùm exprimendo, vt in protropo vino fit. Deinde cum saccharo expurgato, id est, ex æquali aqua cocto, dein clarificato, tandemque in Iulepũ percocto, paulatim admiscentes bacillo versatili agitant dum comprehendantur & vna coeant: aut cũ saccharo prope percocto parùm coquunt, aut etiam cum primario saccharo (quale maderanum) eo tantum vsque coquũt dum colliquefactũ, saccharum sit & planè dilutum. Atq; eo modo syrupus è Limonum & citriorum succo, syrupus acetatus simplex & Iulepus, rosatus albissimi fiunt: Granatorum verò, oxyacanthæ, de ribes, & è rubro aceto vt genuini coloris gratiam retineant, minus sunt diu ad mistũram pistillo conuerberandi. Atque cõficiendi hæc ratio in succis quidem fructuum præcipueq, acidis locum habere potest. Alii verò vt herbarum & radicum succi maiorem ad syruporũ præparationẽ requirunt, atq; bis coquẽdi sunt, semel per se ad tertiæ ferè partis consumptionem: deinde vbi colãdo & residendo declarati fuerint, cum optimo saccharo in syrupum percoquẽdi: alioqui facilè corrumpuntur & situm contrahunt

Syr. Acet. Iulepus & syr. Oxyac. syr. Ribes. syr. Gran.

Sa gu-

Saguyerius.

Ad huius imitationem non erit difficile parare alios syrupos è succo citri, granatis acidis, aurantiis, vuæ immaturæ & oxalidis, qui omnes refrigerant, extenuãt ac penetrãt, paruo discrimine: siquidem Limones & citria mala cardiaca sunt, atq; febribus acutis & pestilentibus maximè subueniunt, præter id quod refrigerant bilis ardorem, & putredinem coercent: Idem præstãt aurantia, sunt tamen Limones frigidiores & sicciores, propter aciditatem qua abundant. Syrupus de Agresta vocatus sitim sedat, & de oxalide ob structiones liberat. Granata acida astringũt & ventriculum æstuantem iuuant. Si itaque adsit aurantiorum copia ex eorum succo parabitur commodè syrupus cardiacus & suauis: si Limones, ex eorum succo & sic de reliquis, ne tot præscriptionum formulis obruatur pharmacopœus.

Syr. vuæ immaturæ

Syr. oxal. vires.

Syr. de agresta.

Syr. Granat.

Syr. Aurant.

Syrupi qui sequuntur ex acidis quoq; succis cõparati, superiores vires imitantur: vt syrupus è succo citrii acido, syrupus è granatis acidis, syrupꝰ ex aurãtiis, syr. ex omphacio, syr. è succo oxalidis. peculiariter tamen syrupus è succo citrii acido febris æstum, putredinẽ & malignitatem restinguit: syrupus de granatis acidis ventriculũ & viscera magis corroborat, vomitiones & animi defectiones sedat: syrupus de auranciis cardiacus magis est suauis. Syrupus ex omphacio sitim magis

compescit: syrupus è succo oxalidis bilem obtundit, obstructionesque soluit: syrupus é ribes suauior & adstringentior. Vna eademque omnium conficiendorum ratio. In succo enim cuiusuis expurgato sacchari aliquantũ minus diluitur: hæcque stannato vase excepta igni dantur, sensimque percoquuntur in syrupum.

syrup. ribes.

Oxysaccharum simplex.

Mistas tùm attenuandi tùm obtundendi & corroborãdi vires sortitur, mistæque humorum materiæ, hincque ortis febribus erraticis confert

℞. succi mali punici acidi ʒ viij.
aceti ʒ iiij.
sacchari albi & puri ℔ j.
coquantur in syrupi consistentiam.

Plantius.

Oxysaccharum easdem quas syrupus acidus vires obtinet, sed inferiores præter roborãdi vim quam præstat: propterea morbis æstiuis & molliotibus corporibus eius quam syrupi acidi tutior vsus est. Ne tanta syrupo-rum varietas frustra asseruetur, auctor rectè & prudenter oxysaccharum cõpositum, oxymeli compositum, & oxymeli scylliticum cõpositum prætermittit. Nam quum ex vsu esse putabuntur, Medicus illa expedite componet atque præscribet.

Oxymeli compos.

Oxy-

Oxysacchari ʒ j.
& syrupi de radicibus ʒ ij.
vel syrupi adiantini ʒ iß.

Saguyerius.

Refertur ad Nicolaum, & simplex appellatur collatione facta ad eum syrupum qui multa simplicia recipit præter succum granatorum, acetum & saccharum: cuius si quis vsum requirat admiscebit radic. v. decoctum, vt in acido est annotatum. Cæterum idem potest oxysaccharum simplex atque syrupus acidus, sed illud roborat magis, vnde fit vt tutiùs eo vtantur pueri & fœminæ, quàm acido syrupo: Attenuat & obtundat. sicque mixtis humoribus confert, atque eam ob rem febres errantes domat.

Oxymel simplex.

Crassos humores valde extenuat, lentosque detergit, & veteres soluit infarctus, crassa è pectore ducit, asthmati, contumacibusque febribus accommodum.

℞. aquæ purissimæ,
mell. optimi an. ℔ iiij.

coquantur exspumando dùm aquæ dimidium absumptum sit: ac tum affunde

aceti acerrimi ℔ ij.

rursumque exspumando percoquantur in iu-

ſtam conſiſtentiam. Dilutius vero quod ſit. Habet

aquæ puriſſ. ℔.j.
mell ℥.iij.
aceti ℥.i ß.

Oxymel. Scyll. Eaque deſpumando leuiter coquuntur. Oxymeli ſcylliticum ſimplex multo validius craſſa attenuat, & ad omnia quæ dixi confert. Id ex aceto ſit ſcyllitico quod melli ex aqua cocto deſpumatoque affunditur, percoquiturque vt alterum. Vtrumque autem compoſitum redderur adiecta dupla portione ſyrupi è radicibus maioris.

Plantius.

Acetum mulſum. Aceti mulſi quod oxymeli vocant, rarior nobis vſus eſt quam fuit veteribus, quibus ſyrupus Acetatus nõdùm comparatus erat, qui detergendi vi quâ mel ſaccharo præſtat excepta, cætera quæ oxymeli habet minimè inferiora, aliaque præterea non parui ad febres momenti. Quod autem hodie paſſim in Pharmacopoliis aſſeruatur Acetum mulſum, ingratum planè eſt: ſiue id nimia eius craſſitie ex multa coctione nata accidat, ſiue etiam acore eius nimio, qui non perinde noſtratis mellis atque ſacchari permiſtione hebeteſcat & obtundatur. Quanta vis enim aqua dulci aut decocto accommodato craſſum iſtud oxymeli diluas, nunquam tamẽ ſimiliter gratum

tum & potabile atque ſyrupum acidum effeceris. Dilutiùs verò quod in rem præſentem fit à nonnullis & oxymeli Galeni appellatur, *Oxymel. Galeni.* idin omnia penetrantius multò eſt & iucundius. parua enim coctione quùm non craſſeſcat, ſed in eo aquæ fluxilitas ſeruetur, quam aceti adiuuat tenuitas, & mellis præterea ſpurcitia omnis partim ſpumæ detractione partim clarificatione detergeatur, tenuiſſimum propterea ſimul & lucidiſſimum euadit, ſi mel præſertim album & acetum album receperit, & pauco aceti acore guſtanti ſit minimè moleſtum: frequentiore tamen eius vſu & pleniore hauſtu ſtomachum offendi conſtat, iis præſertim quibus ventriculi os natura eſt admodùm ſenſile: Vnde eius in febribus, ceu acetoſius, ceu mellitius pares, parùm tutus eſt vſus. Mel autem probum deligatur *Mellis delectus.* quod inter craſſiſſimum & tenuiſſimum ſit mediocre, ſapore dulciſſimum & acerrimum, ſimulque dulcedinis ſenſum inferens & vellicatu pungens linguam, colore pallidum aut ſubrutilum & pellucidum, odoratiſſimum & recentiſſimum, quodque ſublatum non facilè ob ſequacem lentorem abrumpatur, pondere graue, vnde in imo vaſis quod ſedit ſupernatante precioſius, & inter coquendum ſpumæ parùm emittens. Noſtris tamen temporibus candidiſſimum mel & ſuauiſſimum, vereque aromaticum, liquidiſſimum, maximéque fluxile, albam & duram cruſtam du-

cens, ex Lusitania & gedano Antuerpiam deportari cœpit: quod bonitate Attico & siculo minimè cedit: Verum id iam Institores ad pleraque alia nostrate sæpius abluendo & dealbando mentiuntur, quam eorum fraudem insuauitate odoris & gustus deprehẽdes. huic bonitate & colore proximè accedit mel Narbonense, & hisce etiam regionibus quod è fauis spõte primum defluit, virgineumq; mel vulgò appellatur. Improbius verò mel coctione melius redditur: vsusque despumati semper aptior, nisi stomachum inflaret in eo diutius immorans, æstuosumque esset & bilem augeret. Mel pueris non tineosis & senibus accommodum, aluum & vrinas mouet, caloremque natiuum suscitat & tuetur, & lõgam prorogat senectam. picrocholis verò & iuuenibus, quòd facilè in bilem conuertatur, aduersum.

Adulteriũ.

Mel Narbonense.

Mel virgineum.

Vires.

Saguyerius.

Mesues quantitatem aquæ parem facit aceto an. vltra lib. ij. Fernelius autẽ mellis & aquæ an. lib. iiij præscribit, & posteà addit acet. lib. ij. Vnde coniicere licet mitius esse oxymel Fernelii quàm Mesuæ, quoniam aqua aceti temperat acrimoniam, quemadmodum in syrupo acido dictum est, vbi aquam non addit idem Mesues. Cæterùm vtrumque rectius hydromel vocabitur ab aqua, melle & aceto; & habet vim detergendi lẽta, attenuãdi crassa, obstruendi, vnde fit vt Asthmati conferat & febri contumaci, quæ est à crassis & viscidis humoribus. Mihi autem parùm necessarius videtur hic apparatus ex melle, aceto, & aqua, quandoquidem acidus syrupus idem præstare possit atque hydromel, si quid mellis addatur, & gratior erit multò: hoc enim coctione nimium crassescit, minusque penetrat. Quod si hoc hydromel tenuiss. & iucundissimum cupis, para ex melle albo non adulterato, & aceto pariter albo. Cautè tamen eo vtantur quibus est debile ventriculi orificium superius, cuius accidentia quiddã simile adferunt cordi affecto, quod iudicat vulgaris loquendi mos, dùm de corde conquæruntur quibus os ventriculi laborat.

Hydromel.

Oxymeli compositum per additionem radicum quinque & seminis apii ac fœniculi, neglexit Fernelius: Item scillitium simplex & compositum, quoniam nullo labore quilibet addita scilla possit ab ea acetum nuncupatum parare, & simplicia addere. frustrà igitur tanta syruporum varietate delectantur Pharmacopœi, & operam luserunt Medici qui præscripserunt.

Syrupus è Cichorio.

Moderatè refrigerat viscera, omnia leni adstrictione corroborat, detergendo, aperiendoque iecoris, aliarumque partium infarctus

soluit, bilem eluit & ad purgationem præparat, initiis acutarum ardentiumque febrium & pestilentium accommodum atque salutare.

℞. Cichorii totius agrestis ℥. iiij.
radicum oxalidis,
graminis
& asparagi contusarum ana ℥. ij.
Lichenis,
eupatorii,
endiuiæ
lactucæ satiuæ,
adianti vtriusque,
trichoman.
saxifragiæ,
lupuli,
cuscutæ ana M.j.

Coquantur omnia in lib. x. aquæ dum ad sex redeant, In expresso iure dissol. sacchari albissimi lib. vj. Coquantur in syrupum clarificatum.

Plantius.

Quùm syrupus à Cichorio crebrò in vsum veniat descriptione Nicolai Florentini aut Gulielmi Placentini, & vterque ex confusa quadam simplicium tùm calidorum tùm frigidorum miscella, atque etiam ex rhab. constet, vix ait dici possit in quem præcipuè effectum

fectum sit accommodandus: non præter rationem hîc descriptio immutata est, & prorsus ad eos effectus comparata qui titulo rectè enunciantur: ad quos propter radices calidas aliorum neuter decerni potest. Si fortè acidus desiderabitur, huic syrupi acetosi vel Oxysacchari triens. permiscebitur: aut si paulò calidior vel magis penetrans velut ad complicatos affectus, syrupi è radicibus tantundem, vel etiam semis affundetur. Rhabarbarum autem si vsquam addendum esset, vtendi tempore potius adiiciendum videretur quam parandi, ꝙ eius purgandi vis & coctione & diutina asseruatione euanescat & ad præparationem humorum hic syrupus non ad purgationem comparetur, roborandique vis insit maior in rhabarbaro quàm quæ præparatorio propotismati conueniat. Sed ne vtendi quidē tempore per se vtiliter permiscerì potest, quia purgandi eius facultates nullas aut certe perexiguas vires sit habitura, obstāte videl. nimia syrupi crassitudine. Eadem de caussa syrupus ipse ad eos effectus ad quos describi solet, non ita efficax per se fuerit, quemadmodum si decocto conueniente dissoluatur & iucundior reddatur. Nullo itaque ægrorum commodo sed solo dispendio faciunt qui singulis syrupi libris vnc. j. rhabarbari incoquunt, eamque interdum mensuram non duplicant modò & triplicant, sed quadruplicant etiam & sexduplicant contra omnium codicum fidem qui

qui pro quaque lib. tantum drach. iiij. permiſcendas eſſe iubent. Hallucinantur & qui ſyrupum hunc è ſolo cichorii ſucco componendum eſſe contendunt, haud diſſimiliter atque ſyrupum è citriorum ſucco: qui in eo licet veritate maximè nitantur quòd componendis medicamentis multorum ſimplicium interſe pugnantium congeriem reiiciendam eſſe ducant, ideoque Guiliel. Placentini & Nicol. Florentini è Cichorio compoſitiones vt diſcrepantes, temereque & citra rationem inſtitutas repudient, non tamen propterea è Cichorii ſucco compoſitio in earum locum ſubſtituenda eſt: quùm ad eos effectus quos ſyrupus de Cichorio preſtare comperitur, rectè præſtitui nõ poſſit. Siue enim ad purgationem præparanda bilis eſt, iecoriſque & aliorum partium obſtructiones liberandæ, ſiue moderatè refrigerandum, & roborandum, vt acutarum peſtilentiumque febrium initio, quid horum quæſo efficere poſſit eiuſmodi ſuccus, qui diu & vehementer contundendo ægréque exprimendo primùm craſſior redditus, deinde per ſe ad tertiæ partis conſumptionem feruefactus, tandemque ad ſyrupi craſſitudinem cum ſaccharo percoctus, omnis propemodum virtutis ſuæ iacturam vaporando fecerit? tantundem ferè ac ipſum merum ſaccharum. Secus habet in decoctis & ſuccis fructuum, præcipueque acidis qualis citreorum,

rum, limonum, granatorum & ſimilium ſuccus eſt. Hi enim integras vires ſuas in ſyrupos conferunt, quam nec preſſu ſubſtantiæ tenuitatem, nec coctura facultatem amittant, quemadmodum ſuprà annotauimus. Decocta verò quòd multorum ſimplicium vires recipiant, & propter aquam tenuiora ſint & fluxiora, ſimiliter non craſſeſcunt nec vires deperdunt coquendo. Vnde & ex his cõſtantes ſyrupi præparandis ad purgationem corporibus magis conueniunt: qui verò ex aliis ſuccis fiũt, poſt purgationem patente iam & fluxili corpore, rectius in eos vſus decernũtur, quos ſingulis deſcribendis auctor commemorat.

Saguyerius

Huic vis ineſt moderatè refrigerandi, detergendi & roborandi viſcera omnia, & præcipuè Iecur, à quo bilẽ eluit, & ad purgationẽ parat: initiis acutarum ardentiumque & peſtilentium febrium accommodus eſt hic ſyrupus, propter ſupradictas vires. Multa alia addit Nicol. Florentinus quæ data opera prętermiſit Fernel quòd parùm aut nihil prodeſſe ſcopo crederet: Nec de adiiciendo Rhabar. verba fecit, quoniam non exiſtimaret id integris virib. cõſeruari poſſe in ſyrupo, ſed coctione & diuturna aſſeruatione vaneſcere vim purgandi, & aſtringentem remanere quæ po-



tius roboret quàm præparet humores ad euacuationem, prout tribuitur huic syrupo de Cichorio: melius itaq; erit drach j s. aut plus rhab. addere quando bilem purgare leui adstrictione & refrigeratione relicta per simplicia quæ hunc componunt syrupum. Nemo certè est quod sciam, qui negare possit facultatem pharmaceuticam rhab. in aerea & aquea eiusdem portione quæ cocturæ dissipatur & disperditur: Imò & Chemiatri saniores quintam eiusdem, ab iisdem vocatam essentiam, magis purgare aiũt ablato. drach. quã nostro more paratam si semunciæ pondere afferatur: Ex quo colligitur contra Claudium Dariotum vim purgatricem pharmacorum non pendere à terrena substantia, quam nuncupat salem. Præterea sciunt omnes hippocratici & fatentur Rhab. cum magmate in substantia offerre quibusdam ægrotis, quãdo astringere cupimus vtcunque, sicuti docet eius præscriptio in dysenteria, Lienteria, vomitione, sputo cruento &c. sed de hac re satis. Veniamus ad Plantium qui reiicit syrupum de succo Cichorii simplicem, quòd succus exprimendo eum, post longam contusionem & coquendo ad tertias, propè modum omnis suæ virtutis vaporando fecerit iacturã: vnde nec præparare bilem poterit, nec lecoris obstructiones soluere, nec moderatè refrigerare aut roborare, sicut initio febrium acutarum requiritur, si id verum est quod de tali syrupo

rupo fertur: Melius igitur erit solum simplicẽ parare è decocto herbarum, vt proponit noster author: nec obstat quod in succis lateat simplicium vis præcipua, si quidem ea pressu in his herbis amittitur, dissipato eo quod tenue est, & coctione in vaporem abit facultas, ita vt integras vires medicamento conferre nequeant.

Syrupus de Endiuia.

Syrupus Intubi domestici bilem obtundit, lecur refrigerat, expurgat. atque corroborat, icterum & e iecoris obstructione ortos morbos persanat: post purgationem vtilis, & concocta iam quodammodo febrium aliorumue morborum materia.

℞. endiuiæ recentis,
seriolę,
lichenis,
lactucæ,
agrimonij,
cicerbitæ
hieracii ana M.j.ß.
quatuor sem. frigidorum maiorum ana ʒ.j.
santhali albi,
& rub. contusorum,
rosarum rub. ana ʒ.ij.

Coquantur ex octo lib. aquæ ad dimidias.

24

Adde colato iuri sacchari albi lib.iiij. Rursum pariter coquantur, desumentur, expurgenturque coquendo. adde succi endiuię depurati lib.j. succi granatorum acidorũ etiam defœcati vnc.iiij. percoquantur in syrupum.

Plantius.

Syrupum hunc endiuiæ tametsi incerti authoris, componendum tamen atque reseruandum idcirco putauit, quod summa ratione descriptus videretur, arque ita plus efficacitatis habiturus quàm si è solo endiuię succo cõstaret, vt nonnulli volunt: omnibus iecoris vitiis persanandis post corporis purgationem vtilis, atque bilioſorum morborum reliquiis expurgandis, inprimisque cutis scabiei & prurigini accommodatus.

Saguyerius.

Hic additur quidem succus endiuiæ, sed cum decocto herbarum quæ ipsum diluunt vt penetret ad iecur obstructum, & parùm coquitur addito succo granatorum acidorum, qui suas vires integras huic syrupo confert, propter causas superius allatas ex Plantio, ab obstructione iecoris ortos morbos sanat, & speciatim icterum bilioſum. Post purgationem vtilis & concocta vtrumque febrium materia, necnon aliorum morborum, quibus initium dedere obstructiones viscerum.

Syrupus Byzantinus

Mistas vires sortitus tùm iecori tùm lieni expe-

expediendo, expurgandoque comparatus, idque post purgationes: ictero & arquato nigro & diuturnarum febrium reliquiis peculiaris.

℞. succi intubi satini,
& apii ana ℔.ij.
succi lupi salictarii,
& bugloſſi ana ℔.j.

Coquendo purgentur dum inclarescãt & cum sacchari lib. iij. syrupus fiat.

Plantius.

Interpres Mesue negat in febribus ante diem septimum syrupo bizantino vtendũ esse, sed communiter in compositis febribus statim initio apparandæ materiæ vsum fore syrupi acetosi simplicis cum fæniculi decocto & tertia parte mellis rosati. Post purgationem verò, quia hepaticorum & splenicorum reliquias valide expurgat, rationemque complet, vtilissimus futuræ est hic syrupus bizantinus percurandis vtriusque visceris morbis solutu contumacibus, qualis icterus est & arquatus niger, addito præsertim syrupo è radicibus. Compositus prætermissus est quod simplicis vim peruertat, nimiũq; habeat aceti.

Saguyerius.

Iecur & lienem expurgat, mundato prius corpore: diuturnis febribus prodest humorum reliquias absumendo, nec non ictero

25

tàm bilioso quàm melancholico. Sed hic forsan aliquis conqueretur de Plantio, qui syrupum è succo cichorii reiicit, & huic e succo endiuiæ, apii, buglossi & lupuli admittit: cui responsum volumus in hoc syrupo integris viribus remanere succos quoniam ex ipsis nihil absumatur.

Vocant Arabes hunc syrupum Dinarii, cuius appellationis rationem nemo potest nisi diuinando assequi, & talem diuinationem parùm prodesse medicinam facienti nemo ignorat: sicuti. Etymologiam cognitam nullus dicet nocere. Nuper quidam quo cum de hac re loquebar, mihi iureiurando affirmauit à denariis sic nuncupatum, quasi dignus esset hic sycupus qui multa comparetur pecunia. Vulgò præparatur sub nomine bizantini, quòd forsitan eius vsus fuerit frequens Bizantii quod est Constantinopolis. Sed his relictis nucibus ad grauiora progrediamur. Compositum neglexit Fernelius quòd in precedenti satis sit virium ad ea præstanda quæ pollicetur, & quoniam nimiam aceti quantitatem recipit vltra lib.ij.

Syrupus è scolopendrio

Crassam terrenamque melancholiam extenuat, mollit, fluxamque reddit, lienem obstructione liberat, tumentemque soluit, melancholiæ, quartanis diuturnisque febribus

bus apprimè vtilis.

R. polipod. querc.
rad. Vtriusque buglossi,
cort. rad. capparis,
cort. tamarisci an. ℥.ij.
scolopendrii veri M.iij.
Lupuli,
cuscutæ
capill. ven.
melissophili an. M.ij.

Coquantur in aquę lib. nouem dum ad quinque redeant. Colato adde sacchari albi lib. iiij. percoquantur in syrupum expurgatum & clarum.

Plantius.

Syrupum scolopendrii recte & magno vsu compositum huc retulit, quod nullus apud Pharmacopœos extaret veterum descriptione ad terrenæ mecancholiæ præparationem accommodatus. Est autem verum scolopendrium Asplenum Dioscoridis, & officinarum Ceterach.

Saguyerius.

Crassam terrenamque melancholiam extenuat, mollit ac fluxam reddit, lienem obstructione liberat, & tumentem soluit, atque febribus quartanis aduersatur & melancholiæ

liæ morbo. Luminare maius Pharmacopœorum huius syrupi authorem facit Petrum de Tussignana. Scolopendrii veri meminit Fernelius, ad distinguendum ipsum, quod est Ceterach officinarum, ab herba phillitide dicta Dioscoridi, cuius vires repugnant omninò viribus Ceterach. illa enim astringit, hoc verò aperit. illa commendatur à Gal. aduersus Diarrhœas, hoc autem renibus mundandis conuenire dicitur, & dysuriæ ptodest. Imo & lapides vesicæ frangere scribit Dioscorides, asplenum vocans scolopendrium, quòd foliis referat scolopendram animal, & eadem folia sunt incisa more polipodii, quod non fit in foliis linguæ ceruinæ quæ est Phillitis, Desinant igitur Pharmocopœi vsurpare phillitin pro vero scolopendrio, cùm tantopere discrepant & forma & viribus.

Syrupus è radicibus.

Lentam crassamque pituitam terget, extenuat, præparatque. lecoris omniumque viscerum obstructiones soluit, tumoresque submittit, fœdos virginum colores expurgat, vrinas ciet, febres quæ ægrè soluuntur inueteratosque affectus finit.

℞. rad. apii.
fœniculi,
petrosel.
rusci,

& asparagi ana ℥.iiij.
rad. capparis,
& rubiæ ana ℥.ij.

Coquantur in lib. x. hydromelitis diluti dùm redeant ad lib. vj. & cum sacchari lib. v. clarus fiat syrupus.

Plantius.

Quùm duo tradantur syrupi è radicibus, vnus è duabus petrosel ini & fœniculi, alter è quinque, priorem consultò prætermisit vt parum efficacem & paratu facilem si res postulet: posteriorem vt efficacem seruandum putauit, cui vt efficacior existeret, & ad plures affectus vtilior, cappatis & rubiæ radicem rectè adiecit. Acetum reiecit quòd plerumque sine eo desideretur: quodque si res postulet facilè ei syrupi acetosi portio præscribendo admisceri possit, & interdum aliorum quoque permistione temperari.

Saguyerius.

Vulgò receptę præparationi addit Fernelius duas radices capperis vltra & rubiæ maioris, quod hæ efficaciorem reddant syrupum in mundandis viscеribus, lecore potissimùm & liene per vrinarum fluxum: nec non in fœdis coloribus virginum, quos pallidos vulgò dicunt, emendādis & affectibus inueteratis: præparat enim hic syrupus pituitam crassam & lentam, at-

tenuando & detergendo atque viscerum omnium ohstructiones soluendo. Hinc fit vt conferat initio febrium tàm à pituita quàm à bile. Syrup. de duabus rad omisit vt parùm necessarium & paratu facilem, si quis eo vti velit radicibus fœniculi & petroselini decoctis in aqua & saccharo adiecto.

Syrupus Adiantinus.

Moderato calore omnes æquabiliter humores quacunque corporis sint parte leuiter incidit atque deterget; cuiuis incipienti morbo & cuiuis naturæ, ætati, regioni, atq; etiam prægnanti familiaris.

R. adianti albi M.iij.
adianti nigri,
adianti simpl.
saxifrag.
bethonicæ,
pimpinellæ
& asplenij.
an. M.ij.

Coquantur ex aquæ lib. viij. dùm ad quinque redeant. In expresso solue sacchari albi. lib. iiij mellis optimi expurgati lib. ſs. fiat syrupus.

Plantius.

Syrupi capillorum Veneris artificio sa descriptio quùm nulla extet, his vtiliter hæc inserta

serta est: quæ Lectissimorum simplicium in varios effectus tùm temperamento conspirantium delectu absoluitur. Vnde præparantium syruporum hîc omniũ maximè est à vario & multiplici vsu polychrestus, ad quarumcunque partium, præcipuè verò thoracis, iecoris, lienis, renum & vteri quosuis affectus omni ætate & natura vtilis. Sed & ipsius ea est prærogatiua vt alium in eius vsu aliquandiu perseueranti soluat, & humores non solũ præparet, sed præparatos etiam exigat, inprimisque crassam pituiram & bilem, quemadmodum recentioribus Medicis quibusdam & nobis ipsis artis tractandis operibus sæpenumero obseruatum est. Quem quidem effectum pariter præstat, quum adiantorum omnium decoctum, tùm albi maximè: quamuis contra Dioscoridi tradatur aluum sistere. Cæterùm qui vel vuas passas vel glycyrzhizam adiantis permiscent in syrupum, ii quamplurimorum affectuum alioqui communẽ, paucorũ proprium efficiunt, eiusque arctant vsum quàm latissimè aliàs patentem: ac tenuandi & detergendi vim ipsius istorum permistione obtundunt. Rectius itaque ex solo adiantorum decocto syrupum hunc conficerent, qui ceu communis materia ipsis asseruaretur ad cuiuscunque generis effectus. deinde quùm res postularet peculiari decocto ad huius vel illius partis affectus accommodarent: ad thoracis exempli causa, passularum aut glycyrrhi-

28

zæ decocto ad Iecoris, agrimonii aut Cichorii, ad lienis, aſpleni aut tamariſci, ad renũ vrinas aut arenulas promouentium. Ita enim decocto conuenienti ſyrupi vis communis parti cuipiam ſimul deſtinatur & augetur, quæ in deſcripto ſyrupo ineſt longè efficaciſſima.

Saguyerius.

Rectè hunc ſyrupum Polychreſtum dicere poſſumus, quoniam moderato ſuo calore omnes humores & ex omnib. corporis partib. æquabiliter incidit atque deterget leniter, ſimulq; inciſos & deterſos purgat, quod paucis pharmacis datũ eſt; cuiuis incipiẽti morbo, & cuiuis ætati, naturæ, regioni, ſexui, temporis conſtitutioni, atque etiam vterum gerenti familiaris. hunc pro dignitate præparant Monſpelienſes, vt qui adianto albo & nigro abundent. hoc ego vidi & legi in Burgundiæ ducatu, propè pagum Vondenay non longè ab Hediis, & in puteo quodam non procul ab vrbecula cui nomen Saulien. Quid autem intelligat Fernelius per Adiantum ſimplex, neſcio, cùm duo tantùm genera adianti propriè dicti recipiantur in officinis, niſi ſit polytricum quod filiculam vocat Gaza. Omnes tamen herbæ vocatæ capillares eiuſdem cùm ſint facultatis, parùm refert quę ſpecies pro adianto ſimplici vſurpetur. Cæterùm longè aliter

ſentit Meſues de Capillo Veneris ceu adianto quàm Dioſcorides. Hic enim ventrem aſtringere ſcribit, ille laxare atque vacuare pituitam & bilem, Imo & omnes humores craſſos atque ſuperuacaneos viſceribus infarctos à multo tempore Dioſcoridi ſubſcribit Gal. Meſuem ſequitur Plantius, & experientiam rerum magiſtram in teſtimonium profert: ad hæc dicemus Adiantum æqualiter calidum & frigidum eſſe, exſiccans, attenuans & reſoluẽs: Siccitate igitur & frigore aſtringere poteſt, & calore cum partium tenuitate aperit tantoperè, vt epotum in decocto calculum atterat. Mirum igitur non erit, ſi ita temperatum in qualitatibus primis diuerſa præſtet, humores viſcoſos & craſſos qui onerant pulmones & thoracem euacuat. Poterit igitur & eoſdem per aluum facilius deturbare, quòd ſua grauitate deorſum tendant. Tandem dicemus adiantum ſiccatum aſtringere, recens verò laxare, ſicuti accidit cerafis authore Dioſcoride. Hę ſyruporum compoſitiones præparandis ad purgationem humoribus ſunt aptę. Nunc autem qui ſyrupi partium ſingularium expurgandis reliquiis conferant, tradendum.

Syrupus è Stœchade.

Cerebri atque neruorum affectibus frigidis vt Paralyſi, Epilepſiæ, conuulſioni, tremori & deſtillationi è capite quouis procumbenti mirè conducit.

29

℞. florum ſtœchad. ℥.iij
thimi,
calaminthes,
origani ana ℥.i.ß.
ſaluiæ,
bethonicæ,
florum roriſmarini ana ℥.ß.
ſeminis rutæ,
pœoniæ,
& fœniculi ana ℥.iij.

Coquantur ex aquæ lib. x. ad dimidias. Expreſſum ius cum ſacchari & mells ſingulorum lib. duabus denuò coquatur in ſyrupum. Condiatur:

cinamomi,
zinziberis,
calami odorati ana ℥.ij.

Quæ raro linteo illigata in ſirupum ſint appenſa.

Plantius.

Syrupo ex ſtœchade quòd parùm capitalis eſſet alia quædam non præter rationem adiecit, ſaluiam, betonicam, roſmarinum, ſemen rutæ, pœonię & fœniculi, variis cerebri & neruorum affectibus multùm profutura. Aliàs non video quamobrem capitis affectibus deſtinari debeat hic ſyrupus, quum ſtœchas, quæ

quæ primas in hac deſcriptione tenet, eſtque velut ſyrupi baſis, veterum auctoritate hepatica ſit potius aut ſplenica quã cephalica. Ad viſcerum enim omnium obſtructiones inprimis commendatur, quas ſubſtantia tenui & ignea facile aperit, ſimulque altera ſubadſtringente terrea interiora omnia roborat. Ad condituram autem ſi calamus aromaticus deerit, ſubſtituatur nux moſchata, quæ roborandi cerebri vim habet præcipuam.

Saguyerius.

Syrupus tam ſimplex quàm compoſitus veterum nihil habent præter ſtœchadem, cerebro dicatum, quod effecit vt Fernel. ſaluiam, bethonicam & Roſmarinum addiderit, qui & neglexit calamum aromaticum, quòd legitimum non facilè ad nos ex India perueniat: Si quis ergo huic ſyrupo maiorem gratiam per aroma conciliare velit, addit acorum & canellam, vel nucem moſchatam. quæ propriè dicatur roborando cerebro, ſicuti & eius macis: hæc enim naribus indita mentis & ſenſuum vires recreant & augent: vt docet ſpecialiter hiſtoria de Apoplectico Epiſcopo apud Hollerium, quem ſuſcitauit poſt horas xx. oleum è nuce moſchata. Itẽ præſtat ſtœchas quæ moderato calore partes neruoſas maxime iuuat, & cerebro quaſi vitam reſtituit: vnde fit vt hic ſyrupus qui ipſam pro baſi habet frigidis maſis cerebri & neruorum ſuccurrat, paralyſi, E-

30

pilepsiæ conuulsioni tremori & destillationi è capite.

Syrupus è rosis siccis.

Calidos cerebri affectus temperat, sitim extinguit, ventriculum roborat, somnum conciliat, tenues fluxiones cohibet:

℞. aquæ simplicis ℔.iiij.
in qua tepida macera horis xxiiij.
rosarum rubrarum arefactarum
℔.j.

In expresso solue.

sacchari albi ℔.ij.

Coquatur in syrupi consistentiam.

Plantius.

Aridarum rosarum macerationem secundò & tertiò plerique renouandum esse volunt, quò vt ipsi arbitrantur, augeatur vis syrupi. Vnica tamen efficax non minus fuerit. Terna siquidem infusione longe copiosissimā aquam affundi necesse est, veluti pro siccatarum rosarum lib. vna aquæ libras octo, alioqui multiplici macerationevel exhaurietur, vel valida expressione nimium crassescet: sed & singulari infusione rosarum facultatis non minus combibet quàm pluribus, quemadmodum in sale accidit aqua soluendo. In omni autem alui fluore vtilis est hic syrupus confirmandis, corroborandisque partibus, & vlceribus agglutinandis

nandis blandèque detergendis tùm per se tùm aliis excipiendis facultatis eiusdem.

Suguyerius.

Rosæ recentes sunt amariores siccis, & hoc sunt magis astringētes propter amaroris priuationem, vnde fit vt syrupus ex his confectus conferat in omni alui fluore, sitim extinguat, stomachum roboret, somnum conciliet, & omnes fluxiones cohibeat. Exterius autem iuuat dum in vlceribus requiritur agglutinatio, siquidem blande tergendo id quod vninonem prohibet, facit vt agglut inentur.

Syrupus Nymphea.

Capitis ardores, phrenitides, vigiliasque compescit, et somnum conciliat, destillationum asperitates lenit.

℞. florum nympheæ recentium
℔ ß.
florum violarum ℥.ij.
foliorum lactucæ M.ij.
seminis lactucæ,
portulacæ,
& cucurbitæ ana ℥.ß.

Coquantur in lib. iiij. aquæ dum tres supersint. expresso adde

aquæ rosarum stillatitiæ ℔.ß.
sacchari albi ℔.iij.

C 31

Percoquantur in syrupum.

Plantius.

Syrupus nympheæ simplex omissus est vt parùm vtilis : compositus descriptione Franciſci Pedemontani propter semina quamplurima, acetum & succum granatorum, prorsus alienus est, & ad ea inutilis quæ desiderãtur. Quocirca iure hîc alius descriptus est perfacilis & vtilis ad ea quæ inscriptione proponuntur. Alterius autem nympheæ quæ flore est luteo & radice candida flores sunt hoc syrupo componendo præferendi.

Saguyerius.

Ardores capitis domat, vnde phrenitides & vigiliæ superfluæ corriguntur, & asperitates à catarrhis calidis moderatur ac temperat. Solebant olim pharmacopœi parare hûc syrupum secundum descriptionem cuiusdam Franciſci Pedemontani, qui multa commiscet nullo delectu, addens vtriusque nympheę flores cum aceto & succo granatorum acidorum, quæ nihil iuuant in eo quod requiritur ab hoc syrupo. Cæterũ quod græci dicunt Nympheam, quòd more Nympharum quæ circum flumina versantur, ipsa propè aquas aut in aquis nascatur, vocant Arabes nenuphar, quos vt & in multis aliis imitantur, delectati barbaris vocibus.

Syrupus

Syrupus de papauere.

Eadem confert quæ Nympheæ, ac peculiariter molestam tussim compescit & destillationes quæ fauces, gutturque exasperant.

℞. Capitum papaueris albi mediocriter maturorum & recentium ℥. viij.
Capitum papaueris nigri recentium ℥. vj.
aquæ cæleſtis lib. iiij.

Coquantur ad medias, deinde adiectis

sacchari & penidiorum an. ℥. viij.

percoquantur in syrupum,

Plantius.

In syrupo de papauere simplici minus indicitum est capitum papaueris nigri, quòd eius non æquè tutus sit atque albi vsus. Compositus autem syrupus è papauere complura habens lenientia prætermissus idcirco est & ab vsu reiectus, quòd talis re exigente facilè eõparari possit, addito syrupo Iuiubino aut violaceo.

Saguyerius.

Scribunt Medici hunc syrupum ad eadem esse vtilem ad quæ confert syrupus Nympheę, id tamen habet peculiare quòd tussim molestam compescat, & destillationes quæ fauces

gutturque molestant: Itaque si misceatur papauer album prædicto syrupo in decoctione, nihil opus erit eo quod à papauere nomen habet : si tamen quis ipsum parare velit remediorum varietate captus , per me licebit. Dignum est obseruatione quod scribit Mathiolus de floribus papaueris erratici, quorũ siccatorum puluis cum decocto hordei vtiliter bibitur in pleuritide : hinc factum est vt Medici eosdem flores recentes ter aut quater infundant in aqua & syrupum parent cum saccharo pleuriticis vtilissimum. Nigrum papauer albo frigidius est & magis narcoticum. Hoc syrupo sæpè sum vsus in febribus acutis quas vigiliæ comitantur, & mihi fuit honori, vt ægrotis saluti. Qua de re mirabatur Petrus Dauid Medicus Semurianus anno 1564. dùm aliquando conueniebamus in ægris visendis Solisloci in ducatu Burgundiæ, ita vt cum legerat mea pro ipsis consilia apud Georgium Pharmacopoeum eiusdem vrbis, tacitè damnaret huius syrupi tanquam nimium refrigerantis vsum: Imò & me ipsum semel super hac re interrogauit: Cui respondi, semen papaueris vtriusque albi vt & nigri non adeò esse frigidum vt clamitant veteres, & testatur Mathiolus in Dioscoridem, ad cuius commentaria ipsum remisi. Norunt etiam rustici apud nos quàm dulce & amicum sit oleum expressum è semine papaueris albi. Etidem de semine nigri testari possunt Longobardi qui ipsum suis

suis Lagenis miscent & comedũt. Requirit author aquam pluuialem quam cœlestem vocat, intelligens per cœlum aerem vnde decidit, quoniam melior est aliis omnibus, potissimùm ea quæ æstiuo tempore defluit, & dùm aer est tranquillus , licet tonitrua excitentur: Si tamen hæc non adsit, poterit commodè sumi aqua è fonte ad orientem sito. Exulent igitur syrupi tàm simplex qui è capitibus paratur, quàm compositus qui multa alia recipit parum ad rem facientia , qui ad Mesuem referuntur, & vnus sit pro multis hîc à Fernelio descriptus.

Diacodion

Præterquam quòd somnum accersit, cerebri quoque destillationes quocũque irruant, arcet, ventriculum firmat, dysenteriam, aliaq; alui profluuia sistit.

℞. capita papaueris albi tùm magnitudine tùm maturitate mediocria xij, numero.
aquæ cœlestis lib. ij.

Coquantur ad tertias, colato adde
sapæ optimæ ad tertias coctæ ℥. iiij.
mellis optimi ℥. ij.

perfectè simul coquantur addendo sub finem rosarum rub.

balaust.
acaciæ,
rhois culinariæ tritorum an. ʒ. ij.
seminis portul. corollij albi,
& rub. an ʒ. j.

Plantius.

Diacodion reiectis quibusdam superuacuis & insuauibus in meliorem formam relatũ est, aptam sistendis destillationibus. In eundem vsum Dioscorides capita papaueris in aqua ad dimidias per se decoquit, dein adiecto melle & hypocisthidis succo in eclegmatis cõsistentiam redigit. Capita autem papaueris neque perquam viridia, neque etiam ariditate exsucca esse debent, sed cum viridi adhuc maturitate sonare incipiunt ad compositionem decerpendæ sunt, propterea κωδίας & κωδίαις Græcis dicuntur, id est strepentia papauerum capitula. Compositio hæc præ nimia crassitie quia insuauior quibusdam esse queat, vsus tempore poterit hordei decocto aut alio quouis accommodato dilui. Quin etiam si vel conciliandus somnus erit, vel ab acri & tenui fluxione exulcerationis periculum impendebit, ad eam tùm inhibendam tũ etiam temperandam, recenti seminis papaueris decocto, aut eiusdem cremore è decocto hordei expresso, Diacodii vim augere licebit.

Neque

Neque metuendum est ne noxa ab his vlla corpori oriatur, licet quarto excessu frigefacere tradantur ab authoribus: quum tenera papauerum germina nationes pleræque olerum modò in cibis adhibeant, & expresso è semine oleo vescantur, semenque ipsum operibus dulciariis vt placentis & panibus ad gustus & saporis gratiam aspergant citra vllam omninò offensam, aut somnum grauiorẽ: quo vtiq; modo Ægyptii sesamino oleo & sesamo palati gratia vtũtur. Ex qua cõsuetudine omnia dicta factaq; quasi papauere & sesamo sparsa pro eleganti dulciq́ue oratione dixit Petronius. Nam & papaueris lachryma ceu liquor opium græcè dictus, & succus è foliis & capitulis expressus meconium græcis appellatus non vnica, sed multiplici substantia cõstant, vna aquea valdè frigida, altera aerea tẽperata, & tertia calida amara & odorata. Illa in virentibus & teneris, in aridis hæ magis elucent. At verò opium vel potius meconium, quod ad nos conuehitur adulteratum planè est & occulta quadam vi nobis infensum, ideoque minimè vtendum, quacunque id arte corrigatur. Quum enim opium ex lacte ipso capitum papaueris syluatici cum maximo labore exiguum conficiatur, meconium verò sine molestia & abundanter ex foliis tetatur, facilè institores qui compendium & lucrum quærunt, opium adulterant, aut pro eo meconium ex Apulia aut Hispania cõportant.

Saguyerius.

Mesues & Actuarius Diacodion descripserunt, sed hic moderatè matura capita quærit, ille vero flaccida, multáque adiiciunt relicta ab authore Fernelio. Cæterùm hæc composititio à capitib. papaueris nomen habet, quæ Græcis dicũtur αἰγωδάια aut κωδίας. ὁ κώδιον autẽ tintinabulum, crepitaculũ aut tubã designat, & quod strepant hæc capita tintinabuli morefic vocantur: Sapam non miscet Actuarius, sed Mesues qui eam vocat Ros idiomate Arabico. Ea autem paratur ex recentissimo musto ad tertias cocto, ita vt mellis crassitudinem superet, atque temporis lapsu sacchari more candescit. Huius compositionis vis est arcere destillationes cerebri quocunque irruant: Ventriculum firmat, dysenteriam quoque & alia alui profluuia sistit propter multa astringentia quæ in Aegypto nascitur, & ad nos non peruenit, sed eius loco sumunt nostri Pharmacopœi succum prunellorum siluestrium, cui vis ineſt astringens, & per similitudinem facultatis tale nomen sortitus est, cùm Acacia sit nomen arboris Aegyptiæ. Hos arguit Mathiolus qui mauult succum foliorum sumach ceu rhois aut lentisci, aut Hypocisthida quàm prunellorũ succum. Ego tamen hunc summè astringens in pauperibus iuuandis qui alui profluuio laborabãt frequẽter sum expertus. Cæterùm quãdo rhus culinariũ aut opsoniorum

niorum præscribitur sunt intelligenda grana fructus enim huius arbusculæ paruos racemos spissos refert: quando verò de rhoe coriariorum fit mentio, veniunt accipienda folia & ramusculi.

Syrupus violarum compositus.

Aerem destillationẽ temperat, raucitatem, tussim grauem, & asperitatem arteriæ, pleuritimque lenit & sitim compescit,

℞. florum violarum ℥.ij.
seminis cydoniorum
& maluæ ana ℥.j.
zizipha,
& myxaria ana xx.n°.
decocti cucurbitæ vel seminis eius ℔.v:

Coquantur ad medias & cum sacchari lib.ij. fiat syrupus.

Plantius.

In composito hoc syrupo nihil est immutatum, quod arte compositus videretur, leniendo, refrigerando, humectando ad omnem arteriæ ardorem & asperitatem vtilis, sed & ardentem vrinam & nephriticum cruciatum demulcet. Viola autem herba & folia cocta maturandi vim habent: semen cholagogum est ad modum rhabarbari: habetur & flore medio suberoceum quiddam, quo anginæ & puerili epilepsiæ succurri tradunt, si cum aqua

bibatur. Viola flos & ex eo vna aut altera infusione simplex syrupus comparatus feruidos acréque humores temperat, lenit atque subducit, idcircoque in pleuritide vtilis: atram retorridamque bilem & ab hac fuliginem domat, indeque in suscitata symptomata capitis dolores, vigilias, insomnia consopit, & cordis tædia depellit: Calidiora siccioraque medicamenta commodè leniendo frenat. hæ dote cùm magnæ sint, syrupus ex violarum recentium diluto confectus, merito inter polychrestos censendus est. Hoc è fragrantibus violis, aliquantulum in vmbra, vt decet, siccatis, & aqua tepida maceratis expressum, cum primario saccharo si percoquatur in syrupum, in annum & eo amplius citra rancorem vllum aut corruptionem asseruari potest ad commemoratos vsus, antè & post corporis purgationem vtendus. Frustra autem quidam tùm violaceo tùm rosaceo syrupo conficiendo violarum & rosarum macerationem nouies renouant, quum vna & altera, tertiave, aut ad summum quarta infusione nihilo inefficaciores futuri sint, quemadmodum conficiendorum medicamentorũ formula ad Pharmacopœas ostensuri sumus. At syrupus è glycyrrhiza parùm necessarius visus est, quòd parùm sit efficax, quodque in syrupo de hyssopo sit comprehensus, neque tanta alioquin varietas quicquam conferat, sed confusionem potius tyronibus adferat.

Sagu-

Saguyerius.

Nonnulli parant syrupum ex solis violis infusis in aqua tepida & saccharo, quem vocant simplicem, & quo vti licet antè & post purgationem, contrà asperæ arteriæ asperitatem & acrem destillationem, quibus etiam conducit compositus à Mesue descriptus, in quo nihil immutauit noster Fernelius, nisi quod admonuit liberũ esse Pharmacopœo decoctum seminis cucurbitæ accipere, si magis placeat quàm ipsius mel cucurbitæ. Mesues autem requirit aquam stillatitiam eiusdem adhuc teneræ, & syrupum commendat in pleuritide & tussi à causa calida. Quidam parant e succo violarum, sed minus gratus est, nec magis efficax. Syrupus autem de violarum infusionibus sumptus ad vnc. iiij. aut v. pro dosi ventrem laxat commode in morbis pectoris, si e recentibus parùm contritis paretur, erit efficacior in purgando, & sic pauciores requirentur infusiones, minorq; quantitas exhibebitur, hanc vim ignorarunt veteres vt annotat Mathiol. in Dioscoridem.

Sirupus Ziziphorum.

Eadem quæ Syrupus violaceus & multò efficacius præstat: vterque initiis morborum aptus.

℥. zizipha LX. n°. myxaria. XX. n°.

36

florum violarum.
adianti albi,
hordei excortic.
glycyrrhizæ ana ʒ.vj.
seminis maluæ,
Cydoniorum,
papaueris albi,
lactucæ, & melonum,
gummi tragacanthæ ana ʒ.iij.
Semina cydoniorum vt maluæ & tragacanthæ.

linteo raro illigata cum cæteris coquantur in aquæ lib. v ad medias, & cum sacchari albi lib.ij. percoquantur in syrupum.

Saguyerius.

Mesues huius syrupi author qui sebesten non adiecit, etsi ad pulmonum vitia atque pectoris valeant, vt quæ sint prunis dulciora, & bilem leuiter vacuant, quod pleuriticis non parùm confert. Quod ad Iuiubas attinet, admonemur à Mathiolo vt eas vsurpemus tantum in morbis acutis & aliis calidis, vbi sanguis subtilior est qui paulò spissior reddi debet, ne suis vaporibus æstuosis noceat cerebro: & docemur per experientiam eas prodesse in Catarrhis à causa calida. Cæterum includit Fernel. sem. cydoniorum & maluæ cum tragacantha linteolo, ne viscosiorem reddant

dant decoctionem & proinde syrupum minus gratum: & asserit huic syrupo vim similem violaceo nisi quod è Iuiubis sit efficacior.

Syrupo de hyssopo.

Thoracis pulmonumque vitia tùm calida tùm frigida leniendo blandè ac leuiter expurgat, sputum attenuando, detergendoque concoque, faciliusque reddit: peripneumoniæ atque pleuritidi inualescenti & inclinanti aptus.

℞. hyssopi arefacti ʒ.iß.
rad polypod.
querc.
fœniculi,
glycyrrhizæ,
seminis carthami ana ʒ j.
hordei expurgati,
adianti albi ana ʒ.ß.
passularum purgatarum ʒ.iß.
ficus siccas,
palmulas pingues an. x.n°.

Coquantur in aquæ lib. vr. ad dimidias, expressum cũ mellis & sacchari an. lib. 1. semiss. percoquatur in syrupum.

Plantius.

Syrupi de hyssopo descriptio eadem permansit, nisi quòd proradice apii substituta est

radix polypodii, & pro radice petroselini semen Carthami, quæ multò aptiora sunt & accommodatiora. Subtracta sunt quædam lenientia, quæ in syrupo violaceo & ziziphorum satis habentur, vt huic vis esset paulò detergentior.

Saguyerius.

Syrupi huius vis præcipua est in detergendo & extenuando humores excreatu difficiles, quo fit vt merito multa excluserit Fernelius à Mesue admixta, quibus facultas lenitiua ineſt, quæque syrupo violaceo & Iuiubino vires suas contulerunt, ita vt hic frustra addantur, pro radice apii rad. polypod. adiecit quod est præditum dulci simulq; austero sapore, vnde fit vt lentos & crassos humores tergat & extenuet tutius, quam apium, quod Epilepticis, fœtui & mulieri lactanti est aduersum. Loco etiam rad. petroselini quod est magis diureticum quàm thoracicum, semen carthami addidit, cui facultas ineſt mundandi pectus & pulmones, si detracto cortice sumatur medulla cum saccharo vt scribit Mesues. Cnicũ vocant græci: a quo postea proponetur electuarium Phlegmagogum.

Syrupus de Prassio.

Validissimè incidit, tenuat, detergit, expurgatque thoracis, pulmonumque vitia: strenuè confert inueteratis affectibus ex crassa, lentaque

que pituita, vt astmati, tussi veteri, empyremati: quinetiam peripneumoniæ & pleuritidi iam inclinatę confert.

℞. prassii albi recentis ʒ.ij.
glycyrrhizæ,
polypod. quercini,
rad. apii.
& fœnic. ana ʒ.ß.
adianti albi,
hyssopi,
origani,
calaminthæ,
thimi,
stœbes,
satureiæ,
tussilaginis, ana ʒ.vj.
seminis anisi,
& bombacis ana ʒ.ij.
vuarum passarum expurgat. ʒ.ij.
ficus passas pingues n°. x.

Coquantur in lib. viij. hydromelitis diluti ad dimidias: expressum percoquatur in syrupum cum mellis & sacchari ana. lib. ij. Condiatur vnc. j. rad. Iridis florentinæ tritæ.

Plantius.

Syrupus de Prassio veteri descriptione Io-

38

annis Mesuæ ex tanta permistione lenientium, detergentium & incidentium confusus videtur, vt dici vix possit in quos præcipuè vsus referendus sit: quod & de aliis plerisque qui nulla methodo, nullaque ratione ex variis vndique authoribus congesti sunt, dici etiam potest. Quocirca cum propositi iam essent syrupus violarum & ziziphorum pro humectantibus & abundè lenientibus, & syrupus de hyssopo pro moderatè detergente, incidente, & expurgante pectoris vitia, ratione optima hunc de prassio syrupum summè incidentem atque detergentem esse voluit, vt extremis & inueteratis mederetur affectibus; quem tamen quisquis volet superiorum permistione temperabit.

Saguyerius

Hunc syrupum descripsit Mesues, nulla methodo curandi obseruata, sed confusis simplicibus ita vt vix suspicari liceat cui scopo potissimùm sit dicatus. Fernelius verò syrupos volens proponere thoraci & partibus respirationi dicatis dicatos, lenientib. & detergentibus, hunc de prassio summe incidentem subiunxit, vt inueteratis subueniret affectibus: cuius tamen vires aliquo præcedenti temperari poterunt si ita res ipsa postulet. Asthmaticos & tussim veterem iuuat. pulmonũ enim infarctus terget, atq; peripneumoniæ & pleuritidi declinãti prodest, quando videlicet calor

calor est remissus. Cæterũ Fernelius existimat cum Matheo quodam syluatico qui scribit pandectas, Dioscoridis stœbem esse eam herbam quæ vulgò scabiosa nominatur, & quæ pectoris vitia emendat, vacuando humores corruptos à quibus inualescunt partes spirationi seruientes. Verum ea non potest esse stœbe, quod huic insit vis astringendi adeo vt dysenterios iuuet si eius grana ac folia decoquantur ad clysteres: Authore Dioscoride: scabiosæ verò non meminerunt veteres, & scimus eius succum scabiei prodesse si eo illinantur scabiosi, vnde sequitur ei vim adesse nõ astringendi sed detergendi: preterea carbunculos pestilentes ipsis impositã trita breui temporis spacio dissipat, quod non est medicamenti repellentis, cuius vsus maximè noceret venenatam materiam ad interna repellendo. Et vt tandem finis sit huic annotationi, scabiosa non potest esse stœbe, quòd hanc veteres cognouerint, illam non, si credimus Mathiolo, materiæ Medicæ inuestigatori diligentissimo. Interim tamen non est quod quisquam hinc arripiat occasionem detrahẽdi famæ Fernelii, siquidem non minus ei licere arbitror quàm Mesue qui etiam suum habet Eupatorium à Dioscoridis Eupatorio non minus diuersum quàm sit scabiosa à stœbe: Idem iudicium esto de Eupatorio Auicennæ: Et sit scabiosæ Fernelii stœbe non Dioscoridis.

39

Syrupus ſymphiti.

Tabidorum & vlceratorum pulmonum ſaniem & pus blandè ac leniter expurgat ſine metu erupturi ſanguinis, pulmonesq; pariter corroborat.

℞. rad. & cymarum ſymphiti maioris & minoris an. M.iij.
roſarum rub.
betonicæ,
plant ginis,
pimpinellæ,
polygoni,
ſcabioſæ,
tuſſilaginis an. M.ij.
Et tuſis omnibus recentibus exprimatur ſuccus, coquatur & exſpumetur ad lib.iij. addendo ſacchari albi lib.ij ß. fiat ſyrupus.

Plantius.

Quòd ſyrupus nullus vſquam extaret aut eſſet in vſu deſcriptus ad tabem, purulentosve pulmones, in tanta penuria hic è ſymphito vtilis ſanè & arte ſumma præſtituendus erat.

Saguyerius.

Per ſymphytũ maius & minus intelligit autor conſoli-

dãtiuã maiorẽ & minorẽ, quib. vis ineſt expurgãdi pulmones è purulẽta materia. Excalefaciũt enim & ſiccant, ſed moderatus eſt calor. Sic autem nominantur hæ herbæ ab effectu, Græcis enim συμφυεῖν & conſolidare idem ſonant. Commendatur hic ſyrupus in tabe ab vlcere pulmonum quos purgat ſine metu ſanguinis erumpentis, ipſis robur addens & refrigerium.

Syrupus è ſucco bugloſſi.

Cor præcipuè corroborat, & exhilerat, eiuſque palpitationem & ſyncopen diſcutit, melancholicos & maniacos iuuat.

℞. ſucci bugloſſi defœcati lib. iij. ſacchari albi lib.ij. percoquantur in ſyrupi craſſitiem. Syrupus è ſucco bugloſſi domeſtici, ſyrup. è ſucco violarum & è ſucco perſicorum malorum, omnes quidem cardiaci, eadem ratione cõfici ſolent.

Plantius.

In ſyrupo bugloſſi tùm ſylueſtris tùm domeſtici & ſyrupo è ſucco violarum, aut ſucco perſicorum malorum, aut è cortice citrii nihil immutandum fuerat. Cæterum magna fuit

40

necessitas adiiciēdi syrupi melissophylli quòd nullus in vsum veniret qui cordis affectus & pestilentium, venenatorumq; morborum iniuriam propulsaret.

Saguyerius.

Diximus suprà syrupos paratos è succis parùm efficaces esse in præparandis humoribus, non tamen in roborandis viribus partium, scimus enim in succis animam consistere: vnde fit vt qui parantur è bugloss. borrag. aurantiis, citreo malo, granatis & similibus, cor exhilarent, palpitationem eius & syncopen discutiant, maniacisque & melancholicis conferant eximiè.

Syrupus è cortice mali citrii.

Cor etiam quauis ex causa frigida torpescens aut palpitatione affectum excitat & exhilerat, mœstitiamque discutit

℞. Corticum citriorum malorum recentium in aqua maceratorum & præparatorum lib. j. coquantur in aquæ lib. vj. dum duæ supersint, & cum lib. iij. sacchari albi fiat syrupus qui condiatur gr. sex moschi.

Saguyerius.

Corti-

Corticem malii citrii siccantis esse facultatis nemo nescit & testatur Gal lib. 7. simpl. qui etiam ei tribuit aliquid aciditatis: temperatus est igitur aut parùm recedit à mediocritate. Caro vero frigida est & phlegmatica nucleus est amarus: folia desiccatiua: succus autem citrii acidus est & exsiccans. Totum autem malum citreū venenis aduersari docet historia quam recitat Athenæus, & quæ multis est cognita. Hic autem è cortice paratus syrupus recreat cor, quamuis ex causa frigida torpescens & palpitans, vt plærumque accidit vbi pericardium nimio humore grauatur, sicuti videre est in fœdis virginum coloribus. Quod ad moschum spectat certum est ipsum odore spiritus instaurare & languidum cor firmare, vnde lipothimiam sanat, sed in calidioribus naturis cerebrum lædit: tutius itaque erit canella aut saffafra condire hunc syrupum quàm moscho, quod omni ætati & naturæ conueniant.

Syrupus Melissophylli.

Omnium maxime cordis palpitationi & syncopæ succurrit: peculiariter verò pestilentium & venenatorum morborum malignitatem obtundit & arcet.

℞. rad. dictamni,
pentaphylli,
bethonicæ,
doronici romani ana ℥. ß.

foliorum melissophylli,
scabiosæ,
suaciſæ seu morsus diaboli.
florum bugloſſi vtriusque,
& roriſmarini ana M.j.
sem. oxalid.
citrii mali,
fœniculi,
cardui bened.
& ocimi ana ʒ.iij.

Coquantur in aquæ lib. iiii. ad dimidias: expresso adde sacchari al. lib. iij. succi melissæ, aquæ rosarum ana lib. semis. Percoquantur in syrupum conditum cinamomi & santali citrini, an. vnc. semis.

Saguyerius.

Melissophyllum vocant Græci, nos Apiastrum quod ea delectentur Apes, Citraginem quòd odorẽ citri referat, & melissam vocamus, eique cum Arabibus vim tribuimus contra cordis affectus varios & præcipue καρδιόγμου, ceu palpitationem: succurrit etiam ventriculi frigidiori & humidiori, atque cerebro & melancholicis. speciatim verò obtundit malitiam humorum pestilentium & venenatorum. Cæterum in hac descriptione duo obseruare debet Pharmacopœus, primum vt cardum benedictum

nedictum non esse Attractylida Dioscoridis sciat, quoniam attractylidis folia carni appropinquata succum sanguinis more rubeum fundunt, quod non facit carduus benedictus. Alterũ ꝙ ipse ipsit Gal. li. 8. simpl & 20. de facult. aliment. Ocimum malum esse alimentum, & paruum sanguinem generare, ventriculoque aduersari, & nihilominus eius semen cardiacum est.

Syrupus è menta.

Ventriculum modetato calore iuuat, leniqueadstrictione corroborat, concoctioni opitulatur, nauseam, vomitum, singultum & lienteriam sedat.

℞. succi cydoniorum dulcium,
& acido dulcium,
succi granatorum dulcium,
acidorum
acido dulcium ana ℔.j.ß.
In his permistis macera horis xxiiij.
mentæ siccæ ℔.j.ß.
rosarum rub. ʒ.ij.

Coquantur ad medias: Colatis adde sacch. albi lib. iiij. Perloquantur in syrupum conditum drach. iij. galliæ moschatæ linteo raro illigatæ.

Planius.

42

In syrupo de menta maiori nihil immutandum fuit neque adscribendus erat minor alter, vt qui sub hoc comprehendatur. In syrupo absinthii nihil quoque immutandum.

Saguyerius.

Duplicem syrupum è menta facit Mesues, maiorem videlicet & minorem, sed posterior additur superfluè: quo factum est vt priorem tantum descripserit Pharmacopœis Fernelius. Dignum certè est admiratione & commiseratione & quod ignorarit Valerius Cordus quid significaret hæc dictio μίζον, pro qua legit cum Mesue muzon & in plurali genitiuo granatorum & cydoniorum, atque interpretantur muza in vini saporem arescentia, cùm nihil aliud designet quam media interdulcia & acida: Deploranda certè veterum calamitosa linguarum ignorantia. Cæterum dicatus est hic syrupus ventriculo quem moderato calore iuuat & leui adstrictione roboret, concoctioni opitulatur, nauseámque, vomitum, singultum & lienteriam sedat.

Syrupus Absynthii.

Ventriculi reliquias vel expurgat vel absumit, ex morbo conualescentibus appetentiam, viuidumque colorem reddit: iecur infarctu liberat, regiumq; morbum discutit, ac omnia cõcoctionis instrumenta corroborat.

℞.

℞. absynthii romani lib. ß.
ros. rub. ℥. ij.
spicæ nardi ʒ. iij.
macerentur horis xxiiij.
contusa in vini albi veteris ac odori & succi cydoniorum an. lib. ij. ß.
Coquantur igne lento ad medias & cum sacchari lib. ij. percoquantur in syrupi crassitudinem.

Saguyerius

Quàm sit amicum absynthium ventriculo sciunt omnes etiam mediocriter in arte Medica versati: cuius comæ, folia & semen vsurpantur, sed succus noxius est. Ex eo compositus syrupus ventriculi reliquias vel expurgat, vel absumit, vnde fit vt appetentiam excitet in iis qui à morbo conualescunt: Iecoris obstructiones soluat, Icterum discutiat, & concoctionis organa roboret. Hunc descripsit Mes. & vocauit maiorem: Vbi Cordus interpretatur Absynthium romanum, ponticum quod reliquis magis astringit & aromaticum est, Gal. teste. Sicantè Cordum vocauerat Mesues ponticum Romanum, ignota causa Mathiolo vt testatur in Dioscoridem.

Mina Cydoniorum.

Ventriculum heparque roborat, concoctionem iuuat, vomitum & lienteriam compescit.

℞. succi cydoniorum defœcati lib. vj. coquatur lento igne ad medias sensim exspumando, dein affunde vini rub. vet. & optimi lib. iij. sacchari albi lib. tantundem, denuò coquantur ad mellis consistentiam, condiantur cinamomi ʒ.j. ß. Caryophillorum & zinziberis an. ʒ ij.

Plantius.

Hæc miua Cydoniorum media inter simplicem & compositam & vtriusque vires obtinet.

Saguyerius.

Viscera roborat, coctionem ventriculi iuuat, appetentiam excitat, vomitum ac lienteriam ceu intestinorum leuorem compescit. Mesues duplicem hanc miuam describit, simplicem videlicet & compositam, inter quas hæc est media vtriusque vires obtinens. prior enim Mesuæ videtur nimium simplex ad ea quæ pollicetur, posterior nimium calida, vt quæ nimis multa recipiat aromata vnc. ij. vltra & ʒ ij. cum vna moschi, qui cerebrum imbecillum lædit, & mulieribus vteri strangulationi obnoxiis nocet.

Syrupus Myrtinus.

Ventriculum & viscera corroborat, vetus alui profluuium, sanguinis omnem eruptionem; omnemque cerebri destillationem sistit.

℞. baccarum myrti ʒ.ijß
santali albi,
rhois culinarii,
balaustiorum,
baccarum oxyacantha, ros. rub. an. ʒ.jß.
mespilorum lib. ß.
Contusa omnia coquantur in lib. viij. aquæ ad tertias expresso, adde succi Cydoniorum & granatorum an. lib. ij.
sacchari lib. v. Coquatur vt artis est.

Plantius.

Syrupus Myrtinus veterem retinet compositionem. Syrupus autem Bizantinus quòd omnium hepaticorum reliquias à purgatione validè expurget curationemque compleat, commodè huc referri potest.

Saguyerius.

Prosuĉco pomorum agrestium posuit Fernelius Cydiorum succum qui gratior est & sacis astringens. Mesues etiam descripsit syrupum è succo myrtillorum, sed difficile est in hac nostra regione has baccas recentes inuenire. Et satis est alter syrupus quem compositum vocat idem Mesues, qui sistit fluxum alui, etiam inueteratum & hæmoptysim siue spuitionem cruentã: viscera roborat & Catarrhũ cohibet, sed hic quærendum est quid per baccas acutæ spinæ veniat intelligendum, cum variè vsurpetur hęc vox videlicet ꝑ alba spina & spina vinosa vocata quæ vulgaris creditur Arabum berberis credo ego accipiendas esse baccas posterioris spinæ quæ refrigerant & astringunt: quoniã Mesues autor est huius syrupi: & quantum ad Oxyacantham Dioscoridis, recurrendum est ad Mathioli commentaria.

Syrupus è Fumaria.

Salsos exustosque humores è sanguine expurgat pruritum, scabiem, impetiginem, lepram, omniaque cutis vitia emendat, maligna fistulosaque vlcera, cancrum & elephantiasim demulcet.

℞. endiuiæ,
absynthii Romani,
lupuli,
cassutæ
scolopendrii veri an. M. j.
epithimi ℥. j ß.

Coquãtur in lib. iiij. aquæ ad medias, Colatis adde succi fumariæ expurgati lib. j ß. succi vtriusq; buglossi an lib. ss. sacchari albi lib. iiij. percoquantur in syrupum.

Plantius.

Quum multæ sint syrupi è fumo terræ descriptiones, nulla sanè videtur hac vna conuenientior & vsu facilior ad expurgandam omnẽ sanguinis impuritatem.

Saguyerius.

Sanguinis impuritatem omnem expurgat, & inde nata mala curat, cutis vitia emendans, maligna vlcera & fistulosa demulcens, nec nõ cancrum & elephantiasim. Mesues proponit alium syrupum quem vocat maiorem, à numero simplicium vt suspicor, quæ multa sunt & confusè addita, siquidem præscribit quadraginta myrobalanos tàm citreos quàm cepulos, quæ vehementer astringunt, vt & reliqua genera, & proinde obstructiones non aperiunt, vt nec cassiæ fistulæ pulpa quę etiam adiicitur. Cæterùm fumaria dicatur secori, cui obstructo & exinde multorum morborum authori succurrit eximiè. comesta enim herba bilem per vrinas vacuat Dioscoridi & Gal. Mesues autem ait ipsum minus nocere su-

menti inter omnia purgantia medicamenta. nam purgando roborat & viscerum fibras stringit.

Syrupus è malis odoriferis.

Tetros melancholiæ vapores infringit, pauores, mœrores, furoremque sedat & exhilerat.

℞. succi malorum acidodulcium fragrantium lib. iiij.
succorum violarum,
buglossi domestici & siluestris,
aquæ rosarum stillatit æ an. lib *j*.

Coque simul, exspuma & cola, deinde adde sacchari albi lib. vj. Percoquantur in syrupum.

Plantius.

Ridiculum videbatur syrupum è pomis habere tanquam pomarium simplex, nisi & alii ad melancholiam vel atram bilem succi accessissent.

Saguyerius.

Tetros melancholici humoris vapores discutit, & inde natos pauores & mœrores, atq; furiosis auxiliatur, & cordis tremorem sanat. Mesues hunc parat è solo succo pomorum acidorum & dulcium cum saccharo: Acida enim iuuant cum humor peccans non est nimium

mium frigidus, & dulcia efficiunt vt alimentum bellè distribuatur per corporis partes: his autem saporibus mixtis si addatur crassa substantia corpus laxantia: Rectè igitur addidit Fernelius herb. succum & stillatitium rosarum liquorem, ad domandam atram bilem & melancholicum humorem.

Syrupus de Althæa.

Crassam obstruentemque renum pituitam, & lentam purulentamque eorum saniem & arenulas blandè ac clementer expurgat citra manifestum calorem. vrinæ præterea demulcet ardorem.

℞. rad. althææ ℥. ij.
Cicerum rub. ℥. j.
rad. graminis
& asparagi,
glycyrrhizæ mundatæ,
passularum mundarum an. ℥. ß.
Cymarum althææ.
maluæ,
helxines,
pimpinellæ,
plantaginis,
adianti vtriusque an. M. j.
quatuor seminum frigid. maiorum & minorum an ℥. iij.

Coquantur ex aquæ lib. vj. dum quatuor supersint, cum sacchari albi lib. iiij. fiat syrupus.

Plantius.

Syrupus althææ cùm nusquam descriptus haberetur, frequens tamen eius esset vsus ex cuiusque arbitrio, non aliter potuit nec vtilius ad eos qui propositi sunt affectus componi.

Saguyerius

Multi sunt experti hunc syrupum summè vtilem in purgandis renibus à pituita lenta & purulenta sanie, nec non in deturbandis blandè & citra calorem manifestum arenulas tàm à renibus quàm vasis vrinariis, atque temperando vrinæ ardore, vt millies sum expertus. Dioscorides commendat succum rad. sumptũ cum vino in dysuria & expurgandis crassis humoribus qui comitantur calculum vesicæ. Gal. semen bismaluæ laudat ad lapidem frangendum: Radici autem tribuit vim astringentem. Docet verò experientia radicem viscosam esse, & sapore pingui, humectante & remolliente si recens sit. Cætera sunt ad deiiciendas arenulas & renes mundandos vtilia, vt nouit tàm medicus quã eius minister Pharmacopœus. Ego non rarò curaui apparandum hunc syrupum in sequentem modum.

℞. summitatum bismaluæ M.iij.
florum violarum
&

& maluæ an. M.ij
florum borraginis M.j.
rad. ononidis ʒ.j.
rad. eringii ʒ.ß.
passularum corinthiacarum ʒ.vj.
sem. melonum,
peponis
& cucumeris an. ʒij.
sebesten xx. n°.

Coquantur ex aquæ fontanæ lib. iiij. sacchari albi tantundem. fiat Syrupus.

Non minus vtilis est præcedenti, & gratior assumenti reperitur, quoniam nõ adeò viscosus est atque is qui paratur è radice.

Syrupus de Raphano.

Renes & vesicam validius expurgat, calculos comminuit, arenulas exturbat, suppressam vrinam deducit.

℞. rad. raphani domestici
& syluestris an. ʒ.j.
rad. saxifrag. ruſci,
lenistici.
fœniculi an. ʒ.ß.
foliotum betonicæ,
pimpinellæ,

pulegii,
cymarum vrticæ, naſturtii,
crithmi,
callitrici an. M. j.
fructus halicacabi,
ziziphæ an. xx. n°.
ſeminis ocimi,
bardanæ,
petroſelini macedonici,
ſeſelios,
carui,
dauci,
lithoſpermi,
corticum radicis lauri. an. ʒ. ij.
paſsularum mundarum,
glycyrrhizæ an. ʒ. vj.

Coquantur quo decet ordine in aquæ lib. x. dum ſex ſuperſint, quibus adde ſacchari lib. iiij. mellis expumati lib. ij. fiat ſyrupus clarus & conditus ʒ. j. cinamomi & ʒ. ß. nucis moſchatæ.

Plantius.

Quod ſyrupus nullus deſcriptus inueniatur ad renum calculos & arenulas exturbandas,

das, magno certè vſu hic è raphano ſubſtituẽdus erat, qui aptè & conuenienter ex iis componitur, quibus ſumma vis eſt comminuendi calculos, aliis quibuſdam interiectis lenientibus atque detergentibus.

Saguyerius.

Cum nullum in Apothecis pharmacorum proſtaret medicamentum quod ſtatim eſſet præſtò, vbi malum promptum expoſtularet remedium arenulis & calculis exturbandis, oportuniſſimè ſeſe offert hic ſyrupus partim lenientibus, vt viæ pateant vrinariæ, partim diureticis ad expulſionem arenularũ, conſtans. A. Raphano nomen habet, cui vis eſt calida ſicca, attenuans & mouens vrinas, ſed ſylueſtris domeſticum ſuperat in his qualitatibus: quorum duorum facultatem diureticã augent reliqua quæ admiſcentur renum ac veſicæ medicamenta: Anõnis eſt quod vulgò vocant Burgundi Reſta bouis quoniam boues arantes remorentur detento aratro: Crithmus autem Criſta marina quæ dyſuriæ ſuccurrit Callitricum quod pulchros faciat capillos. dicitur, etiam Trichomanes & Polytrichum nuncupatum. Cortex radicis lauri frangere lapidem dicitur Dioſcoridi. Lithoſpermum græcis eſt nobis ſemen lapideum, vulgò appellatum milium Solis. Reliqua cuilibet Pharmacopœo nota ſunt.

48

Syrupus Artemisiæ

Suppressos aut parcius fluentes menses potenter mouet, quòd syrupus adiantinus & hyssopi moderatius efficiunt, vteri strangulatus & subuersiones sedat.

R. Artemisiæ M.ij.
rad. Iridis,
helenii.
rubiæ,
pæoniæ,
libistici,
fœniculi ana ℥ß.
pulegii,
origani,
Calaminthes,
nepetæ,
melissophylli,
sabinæ,
sampsuchi,
hyssopi,
prasii,
Chamædryos,
chamæpityos,
hyperici,
parthenii,
betonicæ ana M.j.

seminis

seminis anisi,
petroselini,
fœniculi,
ocimi,
dauci,
rutæ,
nigellæ ana ʒ.iij.

Contusa omnia macerentur horis xxiiij. in hydromelitis lib. viij. Coquantur ad lib. v. & cum pari saccharo percoquantur in syrupum conditum cinamomi vnc. j & spicæ drach. iij.

Plantius.

In syrupo ex artemisia quòd multa continerentur vterinis affectibus parùm apta & inconsideratè confusa, non pauca quæ aut nõ suppetunt nobis, aut quorum coquendo vis exolescit, ea vt superuacua aut incommoda author subtraxit, iis solùm derelictis quæ præcipua sunt & optima.

Saguyerius.

Matthæus de Gradibus longè plura admiscet, quæ aut non sunt ad manum, aut coctura suas amittunt vires, quô factum est vt multa detraxerit ob eam causam Fernelius, paucioribus contentus, quæ syrupum satis efficacem reddũt ad eos affectº quos pollicetur, qui sunt mẽstrua suppressa aut parcius fluentia moue-

49

re potenter, atque vteri strangulatus & subuersiones sedare : Compositionem enim ingrediuntur simplicia ad id comparata : inter quę Parthenium ceu matricaria fœmina Mathiolo teste, vltimo loco non est habenda. Cæterùm rectè ex hydromelite coquantur tenuia calidaque medicamenta, vt eorum vires integrè ferantur ad vterum, quæ aqua simplici infirmarentur, id quod non obseruat Mathæus supradictus : Quodsi aliquam ob causam sit imminuenda huius syrupi caliditas, poterit dilui aliquo decocto temperatiore.

Purgantes Compositiones.

Medicamenta quæ ad purgandos humores comparantur, tametsi in formas aptantur varias in vnum tamen locum omnia referre expedit, ita quidem ordine à mitioribus instituto.

Electuarium è prunis.

Summe leniens, obduratam aluum molliens, varios humores blande ac leniter expurgans, per vehementes cœli æstus, in febrium ardore, in siti, omni ætati vtilis.

℞. rad. althææ,
polypod. querc.
passularum expurgatarum an. ℥ij.
glycyrrh. mundat. seminis cnici an.

an. ℥j.
malvæ,
violæ,
helxines,
mercurialis an. M.ij.

Coquantur in lib. x. aquæ dum ad sex redeãt: in colati dimidio percoquantur prima dulcia, zizipha, myxatia an. xx. n°. ficus passæ pingues x. n°. deinde pulpa cribro transmittatur, in altero colati dimidio bulliant foliorum sennæ mundatorum lib. j ß. expressumque hoc pulpæ permisceatur cum sacchari & mellis exspumati an. lib. ß. rursum coquantur ad electuarii consistentiam, sub finem inspargendo cinamomi tenuissimè triti ℥j. zinziberis ʒ. iij. Dosis ℥j. Tota compositio est lib. iij. doses autẽ sunt circiter xxviij. aut xxx.

Electuarium è prunis solidum eadem præstans.

℞. pruna dulcia nu. x.

50

maluæ,
violæ,
mercurialis,
helxines ana M.j.
polipod.querc.
seminis carthami,
rad.althææ,
passul.purgat.glycyrrhizæ a.ʒ.ß.
foliorum sennæ mundatorũ ʒ.x.

Coquantur ex aquæ lib. v. dum duæ supersint, deinde torculari expressus adde sacchari rub. lib.j, ſ Coquãtur rursum igne lento in electuarii solidi consistentiam, aspersо sub finem puluere electuarii aromatici rosati maioris ad drach.iij. Concinnentur tabel. pondere vnc. s. Tota compositio est ʒ. circiter xx. doses circiter xxx. Vtrumque compositum fiet atque validius è locis distantioribus omnes humores, præsertim verò bilem vtramque expurgabit hoc modo:

℞. electuarii è simplicis & prunis recentis adhuc calentis ℔ j.
in quo dissol. diadacrydii ʒ. iij.
Dosis à ʒ. iij. ad ʒ.ß.

In lib. j. compositionis doses sunt circiter xxxij.

Plantii scholia in purgantes compositiones.

Vt

Vt syrupi, ita & purgantium medicamẽtorũm compositiones vndique arte nulla depromptæ sunt, & in medicamentarios codices relatæ, vt idcirco duas, tresue aut pluresdeprehendere liceat effectibus planè consimiles, nec aptè ad curandos affectus accommodatas: Quò fit vt non absreauthor purgantium compositiones multum immutauerit, vt ad singula conueniens quiddã & vtile proferret. Quantùm autẽ posteriores istæ à primis nomina sortitæ, à vetustioribus distent, quantùmq; propositis affectibus magis conueniant, vnusquisque simplicium viribus æstimatis facilè intelliget. Diapruno tùm simplex tùm compositum à Nicolao descriptum cùm maximè refrigerare debeat & febribus conuenire, aromata plurima continet calidissima, quæ etiam in composito scammonii acrimoniam exaspetant.

Saguyerius.

Vocatur hæc compositio græc. διαπρούνων, & διαδαμασκηνῶν à Nicolao Myrepso, id est è prunis & è damascenis. dia. n. cũ genitiuo sonat ex aut è, vt patet in multis compositionibus quæ posteriores græcos habent authores, vt Diaphœnicôn è dactylis palmæ, Diarrhodon è rosis & innumera alia quæ prostant in officinis. Nec est declinandi dictio composita, sicuti faciunt qui ignorant Idioma græcum di-

51

centes Diaphœnici, Diarrhodi &c. sed seruandus est genitiuus Græcus φοινικῶν ῥόδων & similium : quod admonendum existimaui vt satisfacerem iis qui proprietatem loquendi quærunt & barbariem auersantur. Et quia de nominibus agere cœpimus pauca dicam de diagredio. Hanc vocem diagredium Arabib. familiarem diadacrydion, id est, è lachrymulis pronunciat Fernel. & genitium facit diadacrydii barbarorum vt opinor, sese accommodans ingenio, nam alioqui retinenda est dictio composita diacrydion, vt admonuimus, verum si proprie loqui velimus auferemus præpositionem Græcam, & τὸ δακρύδιον id est lachrymulam dicemus, sic vocantes succum scammoniæ, qui decidit è radice incisa eo modo quem describit Dioscorides, & quasi lachrymando τὸ δακρύ Græc. lachrymam designat, & δακρύδιον lachrymula. Quando igitur diagredium corruptè, aut dacrydion græcè vocant scammoniam correctam, medici quærunt vocem aliquam qua succus non emendatus ab emendato distinguatur. Sed de his grammaticis potius quàm medicis, plus satis grauiora prosequamur.

Pruna damascena recentia magis aluum deiiciunt quàm siccata. hęc tamen non omninò priuantur naturali virtute, vt docet Gal. lib. 7. simpl. & macerata aliquandiu in aqua tepida redduntur purgationi aptiora. Myxaria etiam ceu sebesten eiusdem sunt facultatis, quæ

quæ si ad drach. decem sumantur detractis nucleis nõ minus purgant quàm medulla cassiæ nigrę. Nicol. addit longè maiorem numerum prunorum, cẽtum videlicet, quod nimium videtur: & describit vnam compositionem quam dicit non soluere aluum, miscet tamen rhab. drach iij pruna damascena electa centum, & pulpæ cassiæ vnc. j. Item thamar Indorum pulpæ parem quantitatem, quos ventrem laxare sciunt medici, vt & superiora: Quomodo igitur dicit Nicol. hanc cõpositionem non deiicere aluũ? Credo non simpliciter accipiendum dictũ Nicolai, sed percomparationem ad illam quæ recipit scammonium præparatum ad vnc. s. pro, libra vna Cæterùm hoc electuarium citra Dacrydium aluum duriorem, lenit varios humores expurgando, pro variis simplicibus vnde componitur, omni ætati, sexui, temporis constitutioni conueniens, & febrium æstus moderans. Id verò quod scammoniũ recipit è distantiorib. euocat, & cum iudicio est offerendum: debetque dare operam pharmacopœus vt verum ac legitimum hunc succum habeat, qui iam Dioscoridis ætate tithimali & farinæ orobi admixtione adulterabatur. Optimi notas proponit idem author, quæ sunt leuitas, puritas, splendor ad modum Taurocollæ, & quod vrere linguam non debet gustantis. Diaprunõ solidum nemo quòd sciam, antè Fernelium descripsit, quod in tabellas paratum quibus-

52

dam gratius erit liquido.

Catholicum simplex.

Omnes æquabiliter humores blandè ac leniter è quauis corporis particula deducit & expurgat, siue cum febre siue sine febre, nec pueris, nec senibus, nec prægnantibus infensum.

℞. rad. heleni,
bugloſſi,
cichorii,
althææ,
polypod. querc.
seminis enici contusorum an. ℥.ij.
stœchados,
hyssopi. melissophilli,
eupatorii veri,
asplenii,
betonicæ,
artemisiæ ana M.ij.
passularum expurgatarum ℥.iij.
quatuor seminum frigid. maiorum,
seminis anisi,
glycyrrhizæ ana ʒ.iij.

Coquantur omnia ex arte in lib. x: hydromel. dum

dum septem supersint. In colato iure macera horis xij. foliorum sennæ mundat. lib. j. s.

agarici albi ℔.ß.
zinziberis ℥. j

Aliquantum bulliant & in expresso liquore.

diasol. pulpæ myxariorum ℔.ß.
foliorum sennę mundat. tenuissimè tritorum ℥.iiij.
syrupi infusionis rosarum pallidarum ℔.j.
mellis optimi exspumati ℔.ij.

Percoquantur igne lento in mellis temperaturam, inspergendo sub finem

rhabarb. electi,
& cinamomi electi ana ℥.i.
santali citrini ℥.ß.
nucis, moschatæ ʒ.ii.
Dosis. est ℥.i.

Tota compositio existit lib. iiij. Doses sunt circiter quinquaginta.

Plantius.

Catholicum hoc verè dici potest, quòd medicamenta omnes humores purgantia & partibus singulis interioribus præsertim familiaria contineat. Blandè autem atque clementer purgans, ab extremis summisque partibus nihil aut minimum detrahit: Catholicum verò maius id validè & efficaciter præstat, cuius cō-

53

positio ex omni pharmacorũ genere constat, quæ tùm è propinquis tùm è distantioribus sedibus trahunt aptè confusis atque repressis. In Catholico autẽ veteri malè coquitur rheum barbarum & Cassia, quæ cum Thamarindis acescit, ac totam ferè compositionem corrumpit.

Saguyerius.

Diacatholicum vocant barbari, cùm satis sit dicere Catholicum, subaudi pharmacum aut medicamentum: quod idem sonat atque vniuersale: purgat enim tres humores per Agaricum & Cnicum, senam & rhabarbarum, & continet simplicia partibus quibuslibet corporis dicata, capiti enim stœchas & betonica, cordi melissa, pulmonibus hyssopus & helenium, Iecori Eupatorium verum quod à Dioscoride describitur, lieni Asplenium ceu Cetrac, vtero arthemisia: renibus semina frigida & glycyrrhiza: ventriculo canella & anisum quod flatus discutit huic parti familiares, & nux moschata. Summatim polychrestum seu ad multa vtile cognoscitur, nec pueris nec senibus, nec prægnantibus infensum, siue adsit febris, siue absit. Obseruandum autem rectissimè, Fernelium exemisse ab hac descriptione Cassiam, Rhabarb. & thamarindos, quod hæc compositionem corrumperent: omisit & penidia atque saccharum candum vt nihil conferentia quod nimis exigua adiiciatur eorum quantitas videlicet an. ʒ. ij.

Catholicum maius.

Omnes quoque humores promiscuè trahit, idque validius non è vicinis tantum, sed & è distantioribus sedibus citra corporis perturbationem aut virium iacturam.

℞. quatuor sem. frigid. maiorum mundat.
seminis papaueris albi ana ʒ. i.
tragacanthæ ʒ. iij.
rosarum rub.
santali cittini,
cinamomi ana ʒ. ij.
zinziberis ʒ j.
rhabarb. selecti,
diadacrydii an. ʒ ß.
agarici,
turpethi an ʒ vi.
sacchari albi soluti in aqua ros. in qua ʒ. ij. foliorum sennæ incoctæ sint lib. 1. concinnentur tabellæ pond. ʒ. iii. Dosis tabella vna. Tota compositio est. 1. ß. Doses autem circiter quinquaginta.

Saguyerius.

Hoc Catholicum vocatum maius quod sit præcedenti efficacius, alliciens humores è sedibus distantioribus propter Dacrydium & turpethum, nec tamen corpus turbat, quod medicamenta violentiora sint sufficienter repressa per aromata, semina frigida, gummi tragacantha & saccharum.

Syrupus Infus. rosarum pallidarum.

Tenuem bilem, serososque humores è primis visceribus nullo labore detrahit morbis leuioribus, pueris, senibus & imbecillibus aptus.

℞. aquæ infusionis rosarum pallidarum lib. v.
sacchari expurgati lib. iiij.

Coquantur igne lento in syrupi consistentiam. Macerantur autem ros. pallidarum recentium lib. duæ in aquæ tepidæ lib. vj. horis xij. operculato vase. Rosæ deinde eximunturque his recentes aliæ similiter substituuntur, hisq; abiectis aliæ tertiò, quarto, octauo etiam atque nono dum facultatis plurimùm liquor ebiberit, in quo saccharum soluetur, neq; profecto ex contusis rosis, neque ex earum succo perinde efficax syrupus fuerit. E persicorum floribus aqua, vt dixi, maceratis syrupus quoque fit, qui similiter bilem, aquasque educit vt vermes enecat.

Plantius.

Syrupus rosarum pallidarum, electuarium è succo rosarũ & diacidoniῶ veterem componendi rationem retinent, non admodum manifesta mutatione. Atin electuario Dicarthami quòd mannæ granatæ, mellis rosati & sachari geminati adiectio compositionis rationem solidam peruerteret, hic rectè est suppressa.

Saguyerius.

Vocant Græcis hunc syrupum ῥοδοφύλλιον, id est medicamentum purgans ex rosis, quod ignotum fuit veteribus: & purgat benignè bilem tenuem atque serosos humores è primis visceribus, & omni ætati conuenit. Cęterum sunt qui ex paucioribus infusionibus quàm octo aut nouem parant syrupum æquè validũ in purgãdo, quã is qui vulgò paratur: Et dum agebant Tornodori in Campania, id volui experiri, Iacobo de Chaulnes pharmacopœo ipsum præparante, qui quater tantum infudit rosas recentes & rore aspersas: nõ minus certè suum munus præstabat, sed nõ tàm diu integer seruabatur, atque is qui ex rosis Sole exsiccatis paratus erat. Aliàs ter tantùm infudit, & qualibet vice exhibitas rosas con-

tundit, syrupumque nihil vulgari cedentem parauit: Tertiò miscuit lib. ß. rosarum damascenarum, lib. j. ß. pallidarum contusarum, & satis fuit iterata infusio: quare mirum nō est, si Plantius scripserit in suis annotationibus, paucioribus infusionibus reddi posse hūc syrupum æque purgantem atq; eum qui est ex nouem. Caueant autem pharmacopoei, ne adulterent rhodopharmacum nodulo quodā scammoneæ vt faciebat quidam eiusdem artis in vrbe cui à Sanflorentino nomen est, in Campania, huic impostori à cineribus erat cognomen.

Syrupus polychrestus qui & Catholicus dici potest eiusdem Fernelii.

℞. rad. apii.
petrosel.
& capparis in aceto macerat. horis vj.
ana ʒ. ß.
agrimon.
endiuiæ.
cichorii.
lupuli.
fumar.
cassut.
scolopend.
hyssopi.
& origani ana. M. ß.

sem. cucurbitæ.
& melonum anq ʒ. iij.
seminis anisi ʒ. ij.
glycyrrhizæ tantundem
Coquantur in aquæ lib. iij. ad ʒ. xv. in quibus infunde, horis duodecim,
foliorum sennæ ʒ. iiij.
agarici albi ʒ. ij.
zinzib. ʒ. ij
Florum Cord. Epithimi an. p. j.
florum rosmar.
& betonicæ an. p. ß.
feruefiant & exprimantur, ac dein dissol.
syrup. è cichorio,
è scolopendrio
& de hyssopo an. ʒ. ij.
sacchari al. lib. ß.
percoquantur in syrupum conditum
ʒ. ij. canellæ electæ.
Dosis ʒ. ij.
ex decocto conuenienti pro ratione humoris peccantis in corpore qui alios superat.

Educit complures humores vitiosos è visceribus, expurgando primam corporis regionem. Catholicus etiam ceu vniuersalis dicetur meritò, si pro dosi vna infundatur rhab. ʒ. j ß. aut si dissol. syrup. ros. sol ʒ. j. exinfus. ros. rub. & damascenarum vt docuimus. Sic enim bilis, melancholichus humor, & pituita per rhabarb. sennam ac agaricum purgabuntur: nec non serosi humores per sy-

rupum roſatum.

Electuarium è ſucco roſarum.

Bilem ac tenues aquoſoſq; humores validè & è diſtantioribus locis prolicit : his vtile ac tutum qui articulari morbo laborant, nec admodum vehementi febre iactantur.

℞. ſucci roſ. rub. recent.
ſacchari albi an. lib. j ß.

Coquantur igne lento in elect. ſolidum. Inſperge ſub finem trium ſantalorum, maſtiches, cinamomi exquiſitè tritorum an. ʒ ij. diadacrdii ʒ. j ß. caphuræ ℈. ß. Concinnentur tabellæ pond. ʒ ij ß. Doſis tabella vna. Tota compoſitio eſt ʒ. xxij. Doſes autem ſunt circiter ſeptua ginta.

Saguyerius.

Amaror in ſucco roſarū ipſum reddit purgatorium, adiuuante ſubſtantia aquea calida, quæ eſt in roſis recentibus & præcipuè rubeis, in quibus ignea natura agnoſcitur magis quàm in aliis. Earum vim auget in hoc electuario ſcammonea correcta, vnde fit vt trahat bilioſos & ſeroſos humores etiā à longinquis partibus, & proinde iuuat arthriticos qui non multùm febriunt : alioqui ſuſpectum eſt hoc medicamentum quando vrget febris & ſunt inflammati humores.

Diacydonium Laxatiuum.

Eadem quæ electarium è ſucco roſarum aliquantò moderatius atque facilius efficit.

℞. pulpæ cydoniorum expurgatæ, coctæ & cribro & tranſmiſſæ lib. j ß.
ſucci cydoniorum lib. ß.
ſacchari albiſſ. lib ij.

Coquantur in mellis craſſitiem, inſpergendo ſub finem cinamomi triti ʒ. j.
zinziberis,
maceris,
caryophyllorum an. ʒ. ij.
diadacryd ʒ. ij Doſis à ʒ. iij. ad ʒ. ß. Tota compoſitio eſt lib. iiij Doſes autem circiter nonaginta.

Saguyerius.

Vulgò vocatur Cydoniarum Lugdunenſe, & tenues humores mitius euacuat quam elect. è ſucco. Amatus Luſitanus parat cum puluere è turpetho Auicennæ. Cui vis eſt euacuare aquoſa corporis & vrinas mouere : Et qui paratur è turpethi, maſtich & zinzib an ʒ j. ſacchari ʒ. iij. Eius autē electuarii talis eſt deſcriptio. Cydoniorum mundat ℔. ß. ſacch. tātundem : ſaccharum liqueſcat aqua vel vino, & fiat conditum ad ignē, cui adde prædicti puluueris ʒ. ij. Doſis eſt ʒ. ß. plus aut minus pro ratione virium & morbi. Mallem ego adiicere puluerem è Turpetho Meſ. quod paralyſi magis conuenit quàm tripolium. purgat enim viſcidam & craſſam pituitam à qua obſtructio fit in neruis. Turbit verò Auicennæ euacuat

seroſa vt dictũ eſt, ꝓterea vix reperitur Tripoliũ, ſi credimus Mathiolo: Ad hęc ſcribit Amatus ſuũ Cydoniatũ valere aduerſus Epilepſiã q̃ frequẽtius oritur ab humore pituitoſo copia vẽtriculos cerebri opplẽte, vnde rurſum ſequtur Turpethũ Meſ magis cõuenire obſtructioni tollẽdæ q̃ Auicẽnę. Iam audiamus quid de hac plãta ſentiat Garcias ab horto Proregis Indiæ Medicus, qui lõgè aliter ſentit q̃ Ferneli⁹, Matthiol. & alii non pauci: & cuius opinionẽ intellexiſſe non parùm proderit noſtris Pharmacopoeis. Errant, ait, omnes qui exiſtimant eſſe radicem tripolii, pityuſæ aut alypiæ: Vidi enim Turbit plantam & viridem, floribus exornatam è candido rubentibus, & aliquando omninò candidis, foliis althææ, cui radix eſt neq; magna, neq; longa, digiti craſſitie; interdũ tamẽ craſſiore eſt caule qui per terrã extenditur hederæ modo. Eſt verò tantũ vtilis & gum moſa parsinferior iuxta radicẽ. Caulis dum taxat in vſum medicũ venit. tota aũt planta inſipida eſt dũ colligitur: naſcitur in locis diſtãtibus à mari duab. aut trib. leucis, frequẽs eſt in India & ſpõte prouenit. Candidũ & gũmoſum requirũt Medici, nõ omne tamẽ natura gummoſum eſt. Phlegmagogũ eſt apud Indos qui interdũ adiiciũt zinzibri ſi abſit febris; aliqui ſẽ pè exhibẽt ex decocto pulli gallinacei aut ex aqua. hinc ergo licet cõiicere hui⁹ Medici, turbit diuersũ maximè eſſe ab eo quo vulgò vtũtur officinę, quę radicẽ & non caulẽ vſurpant.

Electuarium Diacnicu.

Pituitam ſeroſosque humores, atque etiam bilem è diſtantiſſimis euocat atque ducit, peculiariter capitis, neruorum articulorumque doloribus benefacit.

℞. pulueris electuarii diatragacãthi frig. medullæ ſeminis cnici, hermodactyl. an. ʒ. ß. roſ. rub. Succi glycyrrh. Cinamomi an. ʒ. ij. Turpethi ʒ j Djadacrydii ʒ. ß. Sacchari albi aqua roſarum ſoluti lib. j. Concinnentur tabellæ pond. ʒ iij. ß. Doſis tabella vna.

Saguyerius.

Huius electuarii creditur Author Arnoldus Villanouanus, qui ipſum malè id eſt barbarè vocat diacartama, cum dia præpoſitio Græca dictioni arabicę iungi nequeat citra barbaralexim grammaticorũ, diacnicu igitur dicendum: Videmus tamen eruditiſs. Ludouicum Duretũ diacartama ſcripſiſſe dũ explicat holleriipraxim. Cæterũ docuit Meſues eius ſemen eſſe Phlegmagogum & Hydragogum, vnde fit vt maxime iuuet Colicos & Hydropicos: id mundatum à ſuo cortice, & ſaccharo mixtum electuarii modo, pectus & pulmonẽ purgat à lenta pituita, & vocem clarã reddit, ſpermaque auget. Quod ad Hermodactilos, id eſt, mercurii digitos, ſi etymon quæris, diligenter cauendum ne pro ipſis ſubſiſtamus ephemeron colchicum, vt facere Arabes & eorum ſectatores admonet Mathiol. hoc enim venenum eſt. Neſcio ego an adéo turpiter aliquando lapſi ſint Pharmacopoei, ſed nunc is error locum non habere in officinis audio, quæ ha-

bent radicem quandam albam & digiti more non omni ex parte rotundam, modiceque cõpactam, quem esse Pauli Æginetæ hermodactylum Phlegmagogum nullus dubitare potest. Talem adferri Lugduno nostri sciunt Pharmacopoei, quo vtuntur in parandis medicamentis quę ipsum requirunt. Turpethum quod turbit vulgò, est etiam purgatiuum pituitiæ crassæ & lentæ, idque credit Fernelius esse radicem herbæ lacte turgentis quæ dicitur Alypia Dioscoridi, & Actuario Lib. de cõpos. medicam. Alypum & Turpethum album. Obseruandum est interea Auicennæ Turpethum diuersum esse à Turpetho Mesue. illud enim est tripolium Dioscoridis, & hoc Alypum ceu alypia eiusdem.

Diaphoenicon.

Bilem, crudamque pituitam, atque etiam lentam clementer expurgat, compositis ac etiam diuturnis febribus & morbis ex cruditate ortis, & colico, flatulentoque dolori aptum.

℞. Pulpæ palmularum mundat. ex Hydromelite, coctæ & cribratæ, penidiorum recentium an Lib. ß. amygdal. expurgat. ʒiij ß. Contusis & permistis omnibus adde mellis exspumati lib. ij. Paulum coquantur ac deinde inspergezinziberis,

piperis,
maceris,
cinamomi

folio-

foliorum rutæ
siccorum,
sem. foeniculi, dauci an. ʒ. ij.
turpethi tenuissime triti ʒiiij.
Diadacryd ʒj ß.

Dosis est ʒ. iij, ad ʒ ß. Tota compositio est fere lib. iiij. Dosses autem insunt centum & circiter triginta.

Plantius.

In diaphoenico palmulæ hic recte macerantur & coquuntur in hydromelite, quod vetus infusio quæ triduo in aceto fieri præcipiebatur, horrendum saporem præ se ferat.

Subtracta quoq; sunt nonnulla vt leuistici semen, pinei nuclei, galanga, xylaloe, quòd nimium multa inessent facultatis eiusdem, auctaque est palmarum, penidiorum & aliorum initiorum quantitas, vt inde compositio tota vsu suauior & facilior existat.

Saguyerius.

Diathamaron purgans dicunt Arabes, qui fructum palmæ dactylum vocant Thamar, sicuti & arborem ipsam: Idem infundant Dactylos in aceto. noster vero author in hydromelite, quod reddit electuariũ gratius sumenti & minus horrendum sapore. Quærit autem Mes ʒ. ij. Dactylorum Kirron, cum κίρρων, id est flauorum dicendum esset, quod tales sint maturæ, Parant etiam electuarium solidum eiusdem nominis, quod accipit longe maio-

rem quantitatem turbit & diacridii quam liquidum. & multo plura simplicia quàm hoc Fernelii Diaphoenicon, palmularũ autem & penidiorum, aliorumque initiorum aucta est quantitas. hac igitur ratione paratum habeant hoc electuarium Pharmacopoei.

Benedicta Laxatiua.

Crassos pituitososque humores, atq; etiam serosos à parte euocat, calculi materiam reuellit, ipsosque calculos expurgat & nephriticum dolorem lenit, frigidæ naturæ frigidoque coelo apta.

℞. turpethi ʒ x.
Diadacridii.
Hermodactyl.
ros. rub an. ʒ. v.
Caryophyl.
Zinzib.
Saxifragiæ.
Sem. apij.
Salis gemmei.
galangæ.
maceris, carui.
Fœniculi.
Acinorum asparagi.
Et ruſci,
Sem. milii solis,
Quatuor sem. frigid. maiorum.
glycyrrhizæ an. ʒ. i.
mellis opt. exspumati. lib. j. ß.

Conficiãtur ex arte. Dosis an. ʒ. iij. ad ʒ. ß.

Tota

Tota compositio est ferè Lib. ij. Doses autem insunt circiter quinquaginta.

Plantius.

Ex Benedicta quod multò calidior videretur, nec vsu facilis nec propter febrẽ tuta, optima ratione author subtraxit spicam nardi, macropiper, cardamomũ & crocum, atque pro his substituit quatuor semina frigida maiora & glycyrrhizam.

Saguyerius

Ad Nicolaum refertur qui eam vocat laxatiuam, vt quæ contineat Turpethum, scammoneam & Hermodactyl. cum sale gemmeo ceu minerali qui splendet chrystalli more, & sua acrimonia turbit ipsum excitat sicuti & Agaricum: Addit etiam Esulam quæ est violenta admodum in purgando, siue maiorem quæ est pityusa, siue minorẽ quę est peplos, intelligat. nam nihil addit Nicolaus sed Esulam in vniuersum præscribit: quam neglexit Fernelius, vt & multa alia quæ calidiorem reddunt compositionem, & non satis dignam nomine quo eam donauit author.

Semper meminisse oportet macerẽ & macim res esse & specie & facultate diuersissimas vt sæpius admonui, quamuis Fernelius & non pauci alii videãtur accipere pro eodem. Huius compositionis frequentior est vsus in clysterib. quam potionibus, aut aliter sumendis per os. Crassos & serosos humores atque pituito-

sos dissecat & vacuat, atque sic calculi materiam reuellit a viis vrinarum: Imo & ipsos calculos exturbat, & renum dolorem mitigat: frigidis morbis, frigidæ naturæ & constitutioni aeris simili, idoneum medicamētum. Vnde colligimus arthriticos iuuare, & eos quibus in colo intestino retenta est pituita, ad ʒ j. in decocto lauante aluum addi potest, & per os sumi ʒ. ß.

Confectio hamech.

Bilem atram ac retorridam, salsamque pituitam detrahit maniæ, psoræ, lepræ, impetigini simul, cancri & elephātiasis peculiare subsidium.

℞. cort. myrobal. citrearum ʒ. ij.
Cepularum
& nigrarum,
violarum,
Colocynthid.
polypodii
quercini ana ʒ j ß.
absynthii,
thimi ana ʒ ß.
anisi,
fœniculi,
ros. rub. ana ʒ. iij.

Tusa omnia macerētur, in seri lactis ℔. ij. deinde coquantur ad ℔. j. fricentur manibus & exprimantur. Colatis adde succi fumariæ, pulpæ prunorum & vuarum passarum ana. ℔. ß. sac-

ß sacchari albi, mellis exspumati ana ℔. j. Coquantur ad mellis crassitiem, inspergendo sub finem Agarici,

sennæ tritorum ana ʒ. ij.
rhabarbari triti ʒ j ß.
Epithimi ʒ. j.
Diadacrydii ʒ. vj.
cinamomi ʒ. ß.
zinziberis ʒ. ij.
seminis fumariæ,
& anisi,
spicæ nardi ana ʒ. j.

Dosis à ʒ. iij. ad ʒ. ß. Tota compositio est ℔. iij. ʒ viij. Doses verò insunt circiter octoginta.

Plantius.

In Confectione hamech frustra geminantur myrobalani in decocto primum, deinde rursum triti impositi. Rhabarbari cocti vis perit, cassia & manna cum Thamarindis coctæ corrumpuntur, scammonii cocti vis exolescit, nec facile aliis permiscetur. Quocirca aptior multò atque vtilior & vsu facilior est ea confectio quam hic nobis author expressit. Hæ compositiones omnium optimæ sunt ac tutissimæ, quod in iis turpethi & scammonii acrimonia atque feruor pulchrè retundatur, permistione vel pulpæ prunorum atque vuarum passarum, vel amygdalis & hermodact. vel rosis earumque succo vel myrobalanis. Aliæ quædam extant non æquè tutæ, vt E-

lectuarium Indum. Vtrumque, Electuarium Elescof, Elect. de Psyllio & diaturbith, in quibus scammonii & validiorum acrimonia minimè retunditur: imò potius calidorum societate exacuitur. Adde quòd nihil ea contineant aut præstare possint, quod non alia hic descripta fœliciter efficiant. Quocirca ad omnium affectuum causas submouendas satis ea possunt conducere.

Saguyerius.

Maioris & minoris meminit Mesues, sed frustrà cùm vna satis sit, vt ex ipsomet Mes. qui vtriusq; vires non dissimiles recitat, cuiuis patere potest, hamech aùtem fuisse Arabem coniectura est ex nomine, & confusa mixtione simplicium: necnon imprudenti coctura rhab. mannæ & Cassiæ nigræ, quæ coctura hæc corrumpit sicuti & Thamarindos. Proinde bene consultum erit Pharmacopœis si hanc vnam compositionem pro multis aliis habeant: nec frustrà faciant impensas in aliis quibus aliàs obruebantur & Medici & eorum ministri. Omnia enim præstare potest hæc confectio quæ aliæ pollicentur, & medicamentorum acrium effrenata vis retundatur admistione pulpæ prunorum atque passularum, necnon amygdalis, rosis & myrobalanis.

Hyera simplex.

Bilem pituitamque ventriculo, intestinis, hypochondriis & meseuterii venis impactam expurgans, valideque infarctu liberans, morbis omnibus ex cruditate & ex venarum obstructione genitis blandè succurrit.

℞. cinamomi.
maceris.
asari.
spicæ nardi.
croci.
mastiches ana. ʒ.vj.
aloes non lotæ ʒ. centum siue ℔. j. & ʒ. ß.
mellis optimi exspumati ℔. iiij.

Conficiantur vt artis est. Datur puluis solus à ʒ. ij. ad ʒ. iij. Melle vero exceptus ab ʒ. j. ad ℥ j. ß.

Saguyerius.

Hieram simplicem vocant quòd nullum insit medicamentum purgans præter Aloem, quæ id quod detersit, protinus in aluum detrahit & expurgat, præsertim cum est illota. Eligenda aloe quam corruptè vocant succotrinam aut succo citrinam, cum socotorina sit appellanda à loco vbi prouenit optima, cui socotora nomen est, vt scribit Garcias ab horto: Dicens præterea huius Insulæ distantiam à freto maris Erythrei ceu rubri esse leucarum 128. quamobrem non minus Arabica quàm Æthiopica dici potest, quòd altera parte ma-

ris Arabia terminetur, altera Æthiopia. Vult idem Garcias eligi aloem quæ compacta est ac solida, alterius enim quæ est adulterata, partes non posse perfectè coire scribit, quoniam succus ex diuersis plantis sit collectus. Amara est maximè aloe potissimùm nõ lota: & iis est inimica qui sunt constitutione corporis calida sicca, nec laborant corruptis humoribus: Item & iis aduersatur qui siccæ intemperiei frigidam coniunctam habent: proinde errant illi grauissimè qui citrà discrimen circumstantiarum aloen aut hieram simplicem, exhibent iis qui conqueruntur de stomachi dolore. Cæterùm hiera picra Græcis idem nobis sonat atq; sancta amara, subaudi, compositio, quasi benignum & amarum dicas medicamentum, propter purgandi vim moderatam & amarorem aloes: quibus facultatibus succurrit iis quorum ventriculi tunicæ affliguntur humore bilioso in illis retento vel pituitoso crasso & tenaci, qui vomendi desiderium promouet Aloem aperire ora venarum, vnde hæmorrhoides. In meipso sum expertus dùm in pestilenti constitutione, pillulis de aloe sæpe vterer ad mali præcautionem: vellicat enim tenues Iecoris venas suo amarore & acrimonia, etiamsi contrarium asserat Ioan. Manard. Ferrariensis Medicus, qui vim ob-

struendi tribuit ipsi aloe contra experientiam rerum magistram: nisi forsan id verum cognouerit in externis remediis, siccat enim aloe tertio gradu, & sic vlcera sanat quæ difficile ad cicatricem perducuntur. Hic non sine ratione mirabitur quispiam quod Asarum huic compositioni sit admixtum, siquidem verum est quod scribit Dioscorides & eius commentator Matthiolus, hoc medicamentum purgare modo ellebori albi: Nam contrarium sentit Gal. lib. 6. simpl. asserens radices asari similes proprietate radicibus acori, quæ nulla vi purgandi sunt præditæ, tantùm abest vt vomitionem more asari excitet. Verùm cùm sit asarum odore aromatico præditum & in pauca quantitate huic compositioni adiiciatur, credo ipsum stimulare vim purgatoriam Aloes, sicuti faciunt spica, cinamomũ, Caryophyl. & similia: Imò & his magis prodesse credo, quòd purgare queat, præter aliorum facultatem. Tandem monere volo Pharmacopœos quam ob causam dixerit Mesues cum Auicenna & Serapione, aloem minus purgare quæ melli mixta est, quàm quæ sine melle præscribitur, Mel dulce est & aloe amara. hæc igitur habet minus amaroris melli admixta, & sic non tantoperè stimulat vim expultricem, vndè parcior & moderatior purgario: Scimus mel ipsum valenter detergere, aluumque subducere, vnde fit vt aloës vim purgandi augeat ea qualitate detersiua sed dulcedine moderatur. Et vt finiam hanc annotationem, miror quid mouerit Cordum & alios medicamentarios Medicos vt simpli-

cia præscriberent nobis, qui ea parari curamus ignota: quale ipsum est Carpobalsamum seu fructus arboris balsami, quo sese suffiunt Indi ad capitis ardores & defluxiones, vt annotauit Nicol. Monardis in balsami historia, qui talem fructum se habere gloriatur, vnde colligere licet rarum esse, quò factum est vt succedaneum eius cubebas officinarum vtẽdum admonerent multarum compositionum authores, & idem faciunt in ligno balsami, quod Græci dicunt xylobalsamum, à Fernelio eam ob causam prætermissum, siquidem quod in officinis seruatur, myrtum potius quàm balsamum refert. Et idcirco pro hoc ligno iubent sumi agallochum aut lignum aloes, non minus inuentu rarum quàm xylobalsamum. Ad hieram ex Colocynthide veniamus, quæ quorundam affectuum inueteratorum & rebellium, peculiaris est, sed rarò admodum.

Hiera Diacolocynthitos.

Crassos lentosque humores, præcipuè vero bilem atram & aquas citrinas tuto ac clementer expurgans: eximiè confert paralysi, tremori, conuulsioni, arthritidi, inueteratisque neruorum affectibus atque etiam hydropi: deinde melancholiæ, maniæ, epilepsiæ, psoræ, lepræ, maligno vlceri, cancro & Elephantiasi, qui affectus leniora aspernantur pharmaca.

℞. stœ-

℞. stœchad.
marrub.
chamæd.
hyperici.
scillæ assatæ.
polii.
calaminthes montanæ.
cinamo.
spicæ nardi.
epithimi.
polypod. querc. aridi.
quatuor sem. frigid. maiorum mund. ana ʒ j ß.
pulpæ colocynthid.
scammonii.
& ellebori nigri præparatorum ana ʒ ij.
euphorbii præparati.
aloes.
myrrhæ.
ammoniaci.
opopanacis.
sagapeni.
Castorii ana ʒ j.
mellis cocti in succo cydoniorum & exspumati ℔ j.

Conficiantur ex artẽ. Dantur ʒ iij.

Colocynthis, scammonium, elleborus niger & euphorbium trita fricentur cum oleo amygdal. dulcium, ac deinde macerentur biduum in mucilagine tragacanthæ & gummi

Arabici deprompta ex aqua rosarū dum mucilaginem totam ebiberint.

Plantius.

Hieræ simplicis vetus compositio permansit, neque quicquam mutandum fuit præter xylobalsamum, quod minime suppetit nobis. Compositiones multæ ex validioribus constant pharmacis, aliæ quidem ex scammonio vt electuarium è prunis, diacidonion & electuarium è succo rosarum: aliæ præterea turpethum habent vt diaphœnicon, aliæ cum his hermodactylos vt diacnicu & Benedicta: aliæ Colocynthidem vt Confectio hameh, alię insuper elleborum nigrum & Euphorbium, vt hiera diacolocynthidos, quæ quorundam affectuum, sed admodum raro peculiaris est. Ex quo intelligi potest nullum simplex medicamentum purgans in vsum venire, à quo non aliqua extet compositio, vt idcirco non aliæ plures videantur expetendę.

Saguyerius.

Hiera cum Agarico, Aloe & melle paratur. Item composita ex Nicolao, & alia quæ ad Logadium authorem refertur, quæ barbaris hiera logodium dicitur, quæque recipit Euphorbium, elleborum vtrumque, dacrydium & colocynthidis pulpā, sagapenū, Castoreum, granum gnidium quod est fructus Thimeleæ, myrrham, centaurium minus, & alia in-

ingrata admodum. Hieram pachii proponit Nicol. Alexand. quæ recipit Agarici & colocynthid. ana. ʒ x. ex quibus videtur Fernelius suam composuisse, quæ satis erit pro omnibus suprà commemoratis, atque eximia cognoscitur in magnis morbis, quando ægroti vires permittunt: resolutioni enim mēbrorum, tremori, spasmo, & arthritidi confert, nec non melancholiæ morbo, maniæ, Epilepsiæ, vertigini, hemicraniæ, psoræ, lepræ, cancro & Elephantiasi, quod hi affectus leuioribus non cedant remediis. Cæterum Colocynthis, scammonium & Euphorbium reponuntur inter medicamenta cathartica maligna, necnon & Elleborus, vnde fit nō nisi præparatis vtamur: cum oleo amigdalarum dul. fricantur, & postea macerantur biduo in mucagine tragacanthæ & gummi arabici, quæ acrimoniam obtundit & extrahitur ex aqua rosarum. fit autem Infusio donec totam aquā ebiberint suprādicta medicamenta, nonnunquam parantur Trochisci è Colocynthide trita & diluta oleo amigdal. dul. & additur Tragacanthi aut mastiche: vel coquitur è iure pingui, aut alio liquore leniente. Scammonum lauatur & concutitur in aqua ros. in qua prius bullierint Cortex myrob. citr. spica & cinamomū In his maceratur 24 horis siccatur & excipitur oleo vt supra cum tragacantha. Demum coquitur in Cotoneo malo acido expurgato, ac massa diligēter oblinito Elle-.

Elleborus niger infunditur aut coquitur in iure carnium pingui, hydromel. aqua hordei aut aliquo syrupo leniēte, vt viol. capill. Ven. Iuiub. Eadem est Euphorbii quodin annum quartum viribus integris persistit, præparatio: cuius etiam vapor lædit grauissimè cerebrum, vt satis norunt Pharmacopoei. Quàm sint ingrata ori Ammoniacum, sagap. Opopanax & Castoreum satis notum est omnibus, qui naturam medicamentorum examinarūt, multaque alia hanc hieram ingrediuntur non magis iucunda, quò fit vt tota compositio sit ingratissima & ventriculo grauissima, vnde est colligere vocatam sanctam ob energiā & facultatē non ab iis quæ eam cōstituunt. Quod si quis apparatus Chemicos requirat, inueniet apud Iosephum Quercetanum Chemiatrum non contemnendum, cap. 8. lib. 3. de præparat. spagirica medicamentorum.

Hydragogum minus.

Hydropicorum aquas clementer & citra offensionem deducens, pueris, senibus imbecillis atque prægnanti tutum, siue febris vlla sit siue nulla.

℞. succi rosarum pallid. lib. ß.
sacchari albi.
mellis optimi an. ʒ. xv.

Coquantur dum exspumauerint & crassescāt, ac tum adde succi rad. ebuli lib. j.
prassii sicci.

seminis fœnic.
tritorum an ʒ. ij.
acinorum ebuli.
& sambuci an. ʒ. ij ß.
cinamoni ʒ. vj.
maceris.
& galangæ. an. ʒ. iij.

Percoquantur in mellis crassitiem. Datur ʒ ß. ex sero lactis aut ex decocto hordei aut viarum passarum. Efficacius reddetur adiecta elaterii ʒ. ß. aut rad. cucumeris agrestis arefactæ ac tritæ ʒ. vj. aut succi rad. Iridis nostratis lib. ß.

Hydragogum maius ex Laureola.

℞ seri lactis lib. ij.
Sacchari albi.
carnis cydoniorum ex aceto coctorum an. ʒ x
mannæ calabrinæ ʒ. v.

Coquantur igne lento in mellis crassitiem: sub finem adiice foliorum aureolæ præparatorum ex aceto & oleo amygdal. dul ʒ. ij. datur ʒ ß.

Præparandi ratio hęc est: foliorum laureolæ ʒ. ij. macera horis 24. in aceto mali punici vel succo portulacæ: modicè coquantur, exprimantur, siccētur atque terantur. deinde affunde aquæ rosarum lib. ß. olei amygdal. dul. ʒ jß. bulliant rursum dum assumpta sit aqua, & pulvis superstiti oleo mixtus in compositionem addendus.

Plantius.

Ne quid vllo modo deesset, his postremo loco compositiones adiecit ad detrahendas hydropicorũ aquas, has tametsi valentiora pharmaca præsertim scamonium & Euphorbium expurgẽt, peculiares tamen compositiones ex his constare voluit, quibus ad aquas vis propria & familiaris est. Vna mitior est, altera vehementior ex laureolæ foliis, quæ nondum in compositionẽ vllam relata fuerant. Quàm apposite autem eiusmodi compositiones ad aquas detrahendas institutæ sint, quiuis è simplicium permistione coniiciet.

Saguyerius.

Hydropicos iuuat hydragogum minus clementer aquas & serosos humores expurgans, vnde fit vt pueris, senib. imbecillis, atq etiam vtero gerenti detur tutò, siue adsit febris, siue absit. Tutior tamẽ erit meo iudicio si æger sit sine febre, nec senex, nec infirmus, nec mulier prægnãs, q̃ ex ipsomet Fernelio colligitur, qui nec ebulum nec sambucum temere non exhibendum admonet lib. 5. therapeut. cap. 12. Et paulo post scribit Elaterium ora venarum aperire quæ est acris admodum, periculosus est vi deiicendi aluum & vomitionem mouendi. Quanro igitur cautiores esse debemus in maioris hydragogi propinatione? sed hæc sunt Medicæ considerationis potius quam Pharmacopoeæ, quæ satis fecit si medicamenta re-

ctè parata exhibuerit: quoniam verò nonnũquam vel coacti, absente Medico, vel quod sibi nimium tribuant, vti medicamentis sine alterius consilio non verentur, de his eos admonere volui. Cæterùm Dioscorides vocat Chamædaphnem, laureolam marem, quæ vnicum caulem rectum emittit, in cuius summitate sunt folia in vnum congesta: & vox græca nihil aliud sonat quàm humilem aut paruum Laurum. Et nos admonet Matthiol. in Dioscorid. cap. de Thymelia aut Chamelea Arabes adeò confusè loquutos de his herbis, admiscentes eis Laureolam, vt non sit facilè diuinare quid sibi velint, hoc vnum tamen addit tales plantas adeò furiosas, & violentas esse in purgando, vt non sit ipsarum tutus vsus. Verùm earum vis emendatur apparatu quem docuit Fernelius.

Vnguentum è Lathyride.

Aluum mollit ac subducit, & potenter hydropicorũ aquas detrahens, distentum abdomen remittit. Eas aũt infernè & ab aluo ducit si vmbilicus, imus venter, inguina, femoraque oblinantur: supernè verò atque vomitione, si ventriculus attingatur.

℞. succi Lathyridis lib ß.
succi esulæ ʒ. iiij.
In quibus dissolue radicis cyclaminis ʒ ij.
scammonii ʒ ß.

Granorum ricini
& lathyridis expurgatorum an. ʒ. jß.
semen fœniculi.
rutæ &
anethi.
baccarum lauri an. ʒ. j.

Trita omnia macerentur in succis diem vnum.

Postea adde axungiæ ʒ. viij. ceræ ʒ. iiij. Liquefiant, in hisque sensim omnia dissoluantur, & igne non acri coquantur, dum totus absumptus sit humor, & omnia in vnguenti tẽperaturam coeant.

Si eadem materia ex olei ʒ. xv. coquatur ad totius liquoris consumptionem, expressum oleum eadem quoque vires nanciscitur.

Vnguento prætetea si vel gummi Ammoniacum, vel cera concorporetur in emplastri consistentiam, aquas quoque id impositum, sed ignauius promouebit.

Saguyerius.

Vis purgatoria inest tàm vnguento quàm emplastro, sed huic ignauior. non enim tàm altè penetrat atque vnguentum, quod illitum imo ventri, inguinibus atque femoribus & vmbilico aquas hydropicorum per aluum detrahit: Si verò ventriculũ attingat, vomitionẽ excitabit, nec mirum cuiquam esse debet per talem illitionem euacuari seroſos humores & aquoſos, cùm idem contingat pueris qui linguntur zona illita hydrargyro & axungia porcina, vermes enim deiiciunt: cuius rei habemus testem Ambrosium Paræum, cum experientia proinde rem fecit gratam noster author delicatioribus, qui abhorrent ab vsu medicamentorum quæ per os sumũtur, dùm hanc illitionis rationem docuit, quam nullus alius proposuit. Idem audiemus de vnguento Agrippæ.

Electuarium diasaru.

Omnis generis humores circum ventriculum & præcordia exuperantes vomitione ducit, non continuato, sed ex interuallis facto impetu: seni ac prægnanti tutum ac facilè.

℞ syrupi mentæ
& viol an. ʒ viij.

Coquantur in mellis crassitiem, sub finẽ subducto igne inspergе rad. peponis arefactæ:
seminis raphani & vrticæ

Infusorum in aqua rosarum & arefactorum ac tritorum an ʒ. j.
rad. asari contritæ & cretæ ʒ. ij.
cinamomi.
seminis fœniculi an. ʒ iij.
Confice in elect. liquidum.

Dantur ʒ. iij. ex aqua hordei vel ex mulsa vel ex sero lactis.

Plantius.

Magnas rei Medicæ suppetias tulisse author videtur his postremis compositionibus

& ea præsertim quæ ad ciendam vomitionem destinatur : quod nulla vsquam extaret, qua tuto nobis liceret humores sursum purgare, cùm sit tamẽ ea vacuatio ad multorum morborum curationem inprimis necessaria.

Saguyerius.

Ab Asaro nomen habet, cuius quinque aut plura folia viridia trita dantur cum hydromel. velleniente decocto. Verum in radice maior est facultas in vomitu ciendo : Eius autem tritæ datur ʒj aut ℈ iiij ex liquore simili: maceratæ verò à ʒ jß. ad ʒ iij. semen raphani efficacius est radice, proinde dantur ʒ.. iij vel ʒ ß. cum aqua hordei vel alia Peponis radix nulla ratione aduersatur ventriculo, quibus aliquantò acrior vrtica, cuius semen exhibetur solùm à ʒ ß ad ʒ j. & teritur vt alia supradicta & cum decocto conueniente aut lusculo leniente propinatur. Obseruandum autem quòd omnium quæ vomitionem mouent medicamentorum vis coctura perit. Nullum autem prostabat in officinis vomitorium.

CATAPOTIORVM FORMVLÆ.

FRANC. SAGVYERII præfatio.

ID habet hoc genus Medicamenti peculiari

liare quòd facilius sumatur quàm potio. Deglutitur enim plerumque inuolutum aliqua re, quæ medicamentorum pillularum massas ingredientium ingratum saporem demulcet. sic ego cum medulla mali cocti saccharata millies obtuli catapotia iis qui tale pharmacum respuebant, quod lubenter & commodè sumpserunt. Alias prodest forma sicca pillularum, quòd diutius in ventriculo manens, à distantioribus partibus trahat, & minus ladat eiusdem visceris tunicas. Non est ergo à nostris officinis explodenda vt nõnulli nugantur artis spagiricæ patroni, nec syrupi, nec electuaria, nec multa alia quæ prudentissimè à nostris maioribus sunt inuenta, sed eorum nimia & indigesta moles est reiicienda: quod facit Archiater Fernelius angiæ stabulam repurgans dùm pro tot pillularũ compositionibus eas tantùm proponit quæ sunt vsui & minus molestæ. paucioribus igitur & melioribus sint contenti nostri Pharmacopœi, relictisque lacunis Arabum, & eorum qui ab ipsorum vestigiis ne latum qui-

dem vnguem vellent recedere, neglectis præscriptionibus. Huic vni Fernelio dent operam, qui Gallus gallis formas remediorum proposuit, Archiater ἰατροῖς seu Medicis nec non medic. ministris: fœtidas pillulas execrent & fœtidos eorum authores, atque talia remedia, si tali nomine digna sunt, Arabibus relinquant: vt quorum ventriculi delectentur Sagapeno, Ammoniaco, succo pannacis & similibus aut molestioribus, quale est Euphorbium, Sarcocolla & alia innumera quæ magis decent animalia bruta quàm homines. Quod autem nunc annoto de pillulis, intelligi volo & de omni alio pharmacorum genere, vt citò, tutò & iucundè nostra curandi ratio procedat. Veniamus ad Catapotia quæ a deuorando nomen acceperunt, vt pillulæ paruæ pilæ nuncupantur, à figura sphærica.

Pillulæ è hiera simplici.

Fiunt è ʒ.j. pulueris hieræ cum melle rosato subacti.

Idem præstant quod ipsamet hiera.

Pillulæ Stomachicæ.

Cibo præmissæ ventriculum expurgant, con-

concoctionẽ iuuant, cibum deducunt, aluum blandè exonerant.

℞. aloës ʒ. vj.
mastiches.
rosarum rub. an ʒ. ij.

cum syrupo rosato vel absinthii cogantur in massam.

Plantius.

Pillularũ stomachicarũ cum sex descriptiones existant, omnes hac vna dempta stomacho sunt aduersissimæ, nec cibo præmitti possunt, quod vel scammonium vel turpethum contineant, quibus corpus vniuersum, præcipueque ventriculus conturbatur.

Saguyerius.

Stomachicæ dicuntur quòd ventriculo, cuius meatus oblongus dicitur stomachus, sint vtiles, eius excrementa sunt pituitosa & biliosa blandè expurgando: stomachus autẽ dicitur quasi ἔχων στόμα, i. habens orificium quo cibi & alia feruntur in ventriculum. Cæterum multas alias compositiones proponunt Arabes, sed inconsideratè vt multa alia. Recipiunt enim scammonium, turbith, rhabarb. quæ ventriculum turbant, & alias corporis partes, purgando, vt loquuntur electiuè: Iis igitur abstinẽdum quod cibo præmitti nequeant, nec sint stomachicæ.

Pillulæ Ruffi ceu communes.

Crebo vsu concoctionem iuuant, nec cibum corrumpi sinunt, humores atq; corpus à putredine vindicāt, qua ratione aduersus pestiferæ luis contagia mirificè prosunt.

℞. aloës optimæ ʒ. ij.
myrrhæ electæ.
Croci synceri an ʒ j.

Excipiantur vino aromatico.

Plantius.

Apillulis quę ex sola constant aloe, compositiones sensim deducens ac veluti coagmentans, alias iis deinde subiecit quæ ex aloe & & rheobarbaro, mox ex aloe & agarico componuntur, postea quæ ex agarico, aloe & rheobarbaro, ab iis aliis alias ex aloë, agarico, rheobarbaro & senna: quibus demum pillulas sine quibus subiunxit, in quibus præter ea quatuor, scammonii vis atque infuso magis quàm substantia continetur: ex his autem myrobalanorum portionem subtraxit, quòd re vera nimium multa cum aliis etiā adstringentibus inesset.

Saguyerius.

Melius Ruffæ pillulæ quàm Ruffi nominabuntur, quoniam per ingredientia colorem ruffum aut subruffum acquirant Et ruffus Medicus potionem præscripsit non pillulas, eamque ex aloe, ammoniaco & myrrha cum

cum vino descripsit: Pillulę verò vocatę pestilentiales loco ammoniaci, quod in externis remediis conuenientius est quā in internis, vt patet ex Gal. qui eius vires commemorans ipsum emolliens facit summoperè, & ad iūcturas, scrophulas & duritiem splenis commendat: quò fit vt credam hanc potionē Ruffi esse ingratissimam & stomacho aduersissimam. Catapotia autem ipsi magis conuenire iudico.

Pillulæ Assaieret.

Plus aloes quàm quæ hiera continent, efficaciores quoque existunt.

℞. pulueris hyeræ simpl. ʒ. j.
Aloës ʒ. ij.
Mastiches.
Myrobal. citrinorum an ʒ ß.

Cum syrupo è stœchade cogantur in massam.

Saguyerius.

Cordus ex Mesue ʒ. ij.
Aloës, & ana. ʒ ß.
Mastich.
Et myrobal.

Atque ad bilis flauæ & pituitæ euacuationem commendat cum ventriculi robore propter adstringentia.

Pillulæ de Eupatorio.

Bilem leniter expurgant, & Iecur infarctu

liberant, corroborantq; , prestantiores quàm quæ è rheobarbaro inscribuntur.

℞. succi eupatorii.
Succi absinthii.
myrobal. citrin. an ʒ. iij.
Rhabarb. electi ʒ. ij. ß.
Mastices ʒ. j.
Croci ʒ. v.
Aloes ʒ. v.
Succi endiuiæ q. suff.
Coquantur in massam.

Saguyerius.

Ad Mesuem referuntur Catapotia de Eupatorio vulgaria, proinde sequitur Eupatoriũ eius esse sumendum, quod est diuersissimũ ab Eupatorio Dioscorid. vt sciunt ii qui vim Catharticam violentam in eo sunt experti, qua iecur ipsum lædit grauissimè: si verũ est quod nonnulli aiunt hoc eupatorium esse gratiolam, inter quos est Cordus, vt patet ex eius annotationibus in syrupum de eupatorio: Aliter enim certissimum est ex Matthiolo Eupatorium Mesue esse ageratum Dioscoridis, cuius decoctum calidum & adurens ait Dioscorides, & sic etiam noceret Iecori. Cùm autem scribat Fernelius has pillulas bilẽ leniter expurgare, & iecur infarctu liberare corroborando, atque præstantiores esse quàm quæ è rhab. inscribuntur, sequitur nec ageratum nec gratiolam his pillulis admiscendam,

sed Empatorium Dioscoridis, quod vulgò agrimonia vocatur, quæ moderato calore hepar roborat, incidit & abstergit.

Pillulæ mastichinæ.

Hæ pillulæ quòd agaricum contineant, validius bilem crassamque pituitam expurgant, quàm quæ ex sola aloe constant.

℞. mastich. ʒ. ij.
Aloes ʒ. iiij.
Agarici trochiscati.
Pul. hyeræ simpl. an. ʒ. j ß.
Cum vino maluatico cogantur in massam.

Pillulæ ex tribus.

Constant ex iisdem addendo rheibarb. electi ʒ. ij. cinamomi ʒ. ß. Cum syrupo è cichorio fiat massa.

Saguyerius.

Catapotia prædicta tribus constant: Item quæ Ruffo stomachicæ etiam ascribuntur: cæterum scire debent pharmacopoei omne rhab. quod in Europam defertur, ex Chinarum regione importari, & idcirco propriè dici Chinense, quod rauam Chini appellant Persæ, & Arabes Rauedseni, vt annotauit Garcias ab horto lib. 1. cap. 37. historiæ aromatum apud Indos nascentium. plura postea de hac re in gratiam pharmacopoeorum disseremus, vt nominum rationem intelligant.

Pillulæ Imperiales.

Clementer ac moderatè omnes humores è viſceribus expurgant, ea pariter corroborãt, infarctũ liberant, omniumque nutrientium partium concoctionem iuuant.

℞. aloes optimæ ʒ ij.
Rheibarb. electi ʒ jß.
Agarici trochiſcati.
Foliorum ſennæ mundatorum an. ʒ. j.
Cinamomi ʒ iij.
Zinzib ʒ. ij.
Nucis moſchatæ.
Caryophillorum.
Spicæ nardi, maſtiches an ʒ j.
Cum ſyrupo violato ſubacta cogantur in maſſam.

Saguyerius.

Longè plura ſimplicia addunt alii, ſed fruſtrà meo iudicio, quòd hæc omnes humores poſſint euacuare è viſceribus nullo aut minimo ſumentis labore, vnde Imperiales dictæ, quaſi Imperatore dignę, aut alio quouis principe, cuius natura delicatior vehementia reſpuit pharmaca. Magiſtrales eas nuncupat Cordus. quaſi ab experto magiſtro & Medico emanârint, cui curæ fuit tutò & iucundè curare Turbith expunxit Fernelius & mannam quòd hæc facilè corrumpatur diutius in mixtione ſeruata, & illud ſit indignum moribus Imperatoris. Cæterùm caueant Pharmacopoei

copœi ne Cordi & ſimilium ſequantur errorem, qui rhaponticum cum rhabarbaro idem eſſe credunt. ſciunt enim purioris Medicinæ profeſſores in rhapontico nullam eſſe vim Catharticam, ita ſcribente Dioſcoride: eius facultas efficacior conſiſtit in aſtringendo, cum pauca caliditate, at rheum barbarum calidum & ſiccum eſſe ordine 2°. omnes fatentur Medici, atque Cholagogum eſſe docuit experientia: Vnde facilè colligitur, Cordum & eius ſequaces in errore verſari. De quo qui ampliorem requiret diſputationem & explicationem, legat Matthioli commentaria in Dioſcoridem.

Pillulæ ſine quibus eſſe nolo.

Bilem, pituitam & melancholiam vndique, ſed præcipuè ex capite, oculis & ſenſibus detrahunt, oculorum ſuffuſiones minuunt, & viſum conſeruant, aurium dolores tinnitumq; tollunt.

℞ aloes optimæ ʒ. xiiij.
Myrobal. citrin. cepul. & Indarum.
Rhabarb.
Maſtiches.
Abſinthii.
Roſarum rub.
Viol.
Sennæ.
Agarici.
Caſſutæ, an ʒ. j.

Scammonii ʒ.vj. ß.

Scammonium diluatur succo fœniculi & traiiciatur per pannum, eoque liquore pulueres tenuissimi excipiantur in massam.

Saguerius.

Has pillulas descripserunt Mesues & Nicolaus præpositus, & in descriptione Mesue nihil est immutatum à Fernelio, nisi quod expunxit Myrobal. bellerica & Emblica. quod tria sufficere videantur pituitę, bili & melancholiæ expurgandis, videlicet humori pituitoso Cepula, bilioso citrea aut flaua, melancholico nigra aut Inda. Et interim sciant Pharmacopœi Emblicis non vti Indos, nisi in densandis coriis, & atramento conficiendo: Inuehuntur tamen Antuerpiam recentissima & condita. Cepula non nisi dura ad nos perueniunt, quæ omnia Arabibus poterant esse recentiora. Cæterùm è diuersis arboribus, & in locis summè distantibus, colliguntur hæc quinque myrobal. genera. Hoe vero nomen vnguentariam glandem propriè designat, & sic per similitudinem datũ est his fructibus, qui melius pruna dicti fuissent, quod his sint magis similes, vt admonet Garcias. Myrobalanus verò est ex qua precioſum elicitur oleum ad vnguenta, vt nominis fert Etymologia: eam dicunt Arabes Ben. Quare autem vocatæ sint hæ pillulæ sine quibus esse nolo, facilè intelligent qui Grammaticam nouerũt artem: tantùm enim ipsis

ipsis tribuebat author vt nunquam destitui vellet hoc medicamenti genere. omnes enim humores vacuant & ex omnibus partibus, sed præcipuè ex capite, oculis & sensuum organis aliis: hinc fit vt suffusionibus conducant & aurium doloribus atque tinnitui, sicque ad oculorum affectus satis efficaces, excluserunt eas quæ lucis vocantur, tàm maiores quam minores.

Pillulæ è fumaria.

Bilioſos humores, acres quoque & salsos extrahunt, cutis vitia emendant.

℞. myrobal. citrearum.
chebularum.
& Indarum.
diadacridii ana. ʒ.v.
aloes ʒ.vij.

Trita omnia ter imbuantur succo fumariæ, terque siccari sinantur, ac demùm in massam cogantur.

Pillulæ aureæ.

Caput & sensus oculosque præsertim expurgant, hisque aciem restituunt, bilioſos paritèrque pituitoſos humores detrahunt.

℞. aloës,
diadacrydii, ana. ʒ.v.
rosarum rub.
seminis apii ana. ʒ.ij. ß.
seminis anisi.

& fœnicul.

& fœniculi.
mastiches ana. ʒ iß.
croci.
pulpæ, colocynthid ana. ʒ j.
mucilaginis.
gummi.
tragacanthæ.
quantum satis est fingatur massa.

Saguyerius.

Propter excellentiam aureas dictas nemo dubitabit qui Cordum audierit dicentem eas citra molestiam aluum deiicere: experientia tamen cognoui earum actionem satis violentam, quod etiam ex scammonio & colocynthide cognosci potest. Caput, sensus & oculos præcipuè expurgant, hisque aciem videndi restituunt, biliosos humores detrahendo, nec non pituitosos Ad Nicolaum referuntur.

Pillulæ de Agarico.

Pituitam, lentosque humores vndique, præsertim vero è capite & è thorace, potenter ducunt, destillationi & asthmati peculiares.

℞. agarici,
mastiches an. ʒ iij.
radicis iridis,
prassii ana. ʒ j.
turpethi ʒ v.
pul hyeræ picræ ʒ ß.
pulpæ colocynthid.
sarcacollæ ana. ʒ ij.
myrrhæ

myrrhæ ʒ.
sapæ quantum satis est, vt cogantur in massam.

Plantius.

In pillulis ex agarico congesta sunt præstantissima queque ad crassam pituitam tùm è vicinis, tùm è distantioribus partibus detrahendam. In quarum compositione nihil prorsus immutandum fuit.

Saguyerius.

Mesues addit hyera ʒ. ß. Cordus autē pluuerem requirit melli nondum mixtum, vt & noster author. Cum autem scripserit Plantius nihil ipsum authorem immutasse in his pillulis describendis, suspicor ʒ. ß pro ʒ. ß. additam esse.

Detrahunt autem pituitam etiam è distantioribus propter turpethum, Colncynth. & sarcacollam, quæ est emplastica & subamara, vlcera carne implens si in aqua ros. aut lacte asinnio sit soluta, quodque carnem glutinet nuncupata est, κόλλη enim caro est græce, & κολλᾶν, collū: & nihilominus admiscetur etiam internis remediis ex præscripto Arab. ad purgandam pituitam, aliosque humores viscidos & crassos potissimum à iuncturis, sed tardior est eius actio, & proinde adduntur cardamomum & zinziber: ea vti non debent quibus ventriculus abundat bile, siquidem est ipsis aduersissima.

Pillulæ Cocciæ.

Bilem quidem, sed pituitam crassam validius vndique purgant, peculiariter tamen è cerebro atque neruis, quorum præcipue morbis medentur.

℞. pulueris hyeræ simpli. ʒ x.
pulpe colocynthid. ʒ. iij. & ℈. j.
diadacridii ʒ. ij ß.
turpeti.
stœchados ana. ʒ. v.
cum syrupo e stœchade massa concinnetur.

Plantius.

Pillulę cocciæ licet bilem, pituitamque valide purgent, non tamen omnes pariter humores perinde atque hæ quæ polychrestæ & vulgo aggregatiuæ maiores vocantur, quarum compositio nihil à vetere distat, nisi quod pro ratione ponderum transposita quædam sunt simplicia. harum autem compositio multo conuenientior est quam pillularum de octo rebus, & quàm pillularum de quinque generibus Mirob. quæ tamen eadem pharmaca comprehendunt. harum igitur descriptiones hic iure prætermissæ videtur. prætermissa quoque est descriptio pillulatum de colocynthide, quòd sub istis cõtineri videantur: quemadmodum & pillulę de euphorbio sub pillulis de hermodactilis.

Saguyerius.

Has vult nominari Cephalicas seu capitales cordus,

cordus, quoniam efficacissime purgent caput: quod equidem verum est, sed idem præstant sine quibus, aureæ & aliæ non paucæ, quæ idcirco dicentur cephalicę. Existimant nonnulli vocatas esse coccias quod κόκκον, id est granũ referant, quasi diceremus granis similes, sed etiam omnes aliæ dum exhibentur eandem formam rotundam habent, nec tamen cocciæ dicuntur: Diuinet alius pythonis spiritu actus quod me ignorare fateor, & credo parùm aut nihil conferre ad medicinam. Referuntur ad Rhazim, & proinde vult Cordus sumi puluerem hyeræ picræ Rhasis: sed cùm parum differant hyera Gal. & huius Arabis, atque hic admiscenda iubeat Cassiam veram ligneam, fructum & lignum balsami, quæ non suppetunt, melius erit eam quam descripsit Galenus sumere, purgant hæ pillulæ cerebrum & neruos.

Pillulæ ex hermodactylis.

Crassos humores simulque seroſos potenter ab extremis partibus præsertim ab articulis euellunt, cerebri, neruorum, articulorumque frigidis morbis familiares.

℞. hermodactylorum.
aloes.
myrobalanorum citrinarum.
turpethi.
colocynthidis.
bdellii mollis.

sagapeni an. ʒ.vj.
Castorei.
sarcacollæ.
opopanacis.
seminis rutæ agrestis
& apii an ʒ,iij.
croci ʒ i ß.
succi brassicæ.

Quantum satis fuerit ad massam conformandam.

Plantius.

Pillulę ex hermodactilis veterem compositionem retinent, solæque satis sunt ad veteres articulorum dolores efficaciores in id quàm quæ arthriticæ vocantur, & tutiores quàm quæ fœtidæ aut de opopanaco aut de sagapeno aut de sarcacolla, vt idcirco harum descriptione minimè fuerit opus.

Saguyerius.

In his pillulis nihil est immutatum nec in simplicibus nec in pondere, nisi quod omissum est Euphorbium, & semen ruthę silvestris vsurpatum, cum Mesues semen hulus herbæ citra distinctionē præscripserit, quod factum puto propter vim maiorem syluestris ruthæ quàm domestjcæ cuius opera emendatur vis noxia aliorū medicamentorū. vt turbith. Colocyn. bdellii, sarcacol. & similiū. Requirūt omnes mollitiem in bdellio, quod hæc mollities

ties sit nota boni & recentis, teste Plinio qui vult esse pingue ad modum bonæ ceræ. Brassiæ succus introsum quid per se fert, vt & beta, ac proinde aptus erit his catapotiis concinnandis, quæ tutius succurrunt inueteratis articulorum malis quam fœtidæ, de sarcocolla, de sagapeno vel opopanace. Vnde bene factum est vt hac expulerit ex officinis noster Fernelius.

Pillulæ polychrestæ.

Ad capitis, ventriculi, hepatis, aliorumque viscerum varios & implicitos affectus: ex his enim pituitam & bilem vtramque purgant.

℞. myrobal. citreorum.
rheibarbari an ʒ ß.
succi eupatorii.
succi absinthii.
myrobal. cepularum.
& indarum.
agarici.
Coloc. ynthidis,
polypodii an. ʒ.ij.
diadacrydii.
turpethi.
aloes an. ʒ.vj.
mastiches.
rosarum rub.
salis gemmei.
epithimi.

anisi.
zinziberis ana. ʒ j.
Confice tum syrupo, rosarum. Dantur à ℈. ij. ad. ʒ j.

Saguyerius.

Polychrestæ ceu ad multa vtiles etiam vocantur, eadem ratione qua barbaris aggregatiuæ, id est bilem vtramque & pituitam aggregans ad euacuationẽ, quos humores trahunt à variis partibus, & varios curãt affectus. Cęterum in hoc differt Fernelius à Mesue authore harum quod Eupatorii veri succum requirat, & syrupum rosarum loco Electuarii de succo. Benigna autem admodum est ipsarum actio, vt sæpius sum expertus & in meipso & in aliis.

Pillulæ è lapide cyaneo.

Bilem atram crassamque pituitam eximiè purgant, melancholiam, mœstitiam & furorem, ad cancrum & elephantiasim, ad alphos nigros, idque in primis vtiles.

℞. lapidis cyanei abluti ʒ vj.
Epithimi.
Agarici.
Polypodii an. ʒ j.
Diadacrydii.
Elebori nigri.
Salis Indi an. ʒ ij ß.
Caryophyllorum.
Anisi, an. ʒ ß.

Pulue-

Pulueris hyeræ picræ simplicis ʒ. xv.
Cum succo intubi seu endiuiæ massa fingatur.

Plantius.

Pillulę è lapide Cyaneo propter elleborum nigrum vsurpatæ vsitatiores sunt quàm pillulæ Indæ. Eleborum quoque continent, eas idcirco descripsit aliis prætermissis, & efficaciores quoque ad melancholicos effectus quã pillulæ è lapide armeno, quas eadem ex causa prætermisit.

Saguyerius.

Auicennam sequentes, vt solent, Pharmacopœi, vocant has pillulas de lapide azuli ceu lazuli, cui eædem sunt fermè proprietates atque lapidi armeno, præter id quod in iisdem fodinis proueniunt; sunt autem hi lapides melanagogi. hinc fit vt eas quæ sunt ex armeno neglexerit Fernelius, & rectè quidem cum ad eosdem morbos sint vtiles ipsomet authore Mesue: licet Auicenna scribat Armenum lapidem aptiorem esse purgando humori melancholico quàm Ceruleum. vterque tamen asserit hunc posteriorem vi corrodente & putrefactiua præditum esse. hunc etiam recipiunt pillulæ Indæ, sed minori quantitate: verũ eius loco admiscetur Colocinthis ad ʒ. ß. & elleborus ad ʒ. v. proinde illis potius è lapide

ceruleo nominatis vtimur quando opus est, quàm Indis aut de armeno.

Pillulæ è Thymelea.

Serosos humores & hydropicorum aquas strenuè proliciunt.

℞. foliorum thymeleæ aceto macerat. & exsiccatorum ʒ.v.
myrob.flauorum ℥.ß.
myrobal.cedularum ʒ iij.
mannę. Et thamarind.
aquæ endiuię solutorum.
quantum opus est ad pillularum formam.

Plantius.

In pillulis è Thymelea nihil immutatum est. His & alię accesserunt ex Esula, aptè quidē compositę, & quibus magna vis est ad aquas detrahendas.

Pillulas lucis tùm maiores tùm minores idcircò derelictas fuisse conūcio, quòd nimium multa & parum apta simplicium miscellanea mistura confusę sint, quódquead oculorum affectus satis efficaces sint pillulę sine quibus.

Saguyerius.

Mesues & alii Arabes confusè admodum de mezereo scripserunt, cuius tres species enumerant, & eam quæ est folio oliuæ, angustiore tamen, sed multum pingui & viscoso, vocant

vocant Thymeleam quod signant oliuam thimi, id est erectam huius more quantum ad caulem & folia quæ sunt ventriculo aduersissima, nisi emendaretur eorum acrimonia per infusionem in aceto, & adiectione myrobal.cum thamarindis & manna. Conferunt hæ pillulæ hydropicis, sunt enim hydragogæ: sed habenda est virium ratio, quæ si sunt imbecillæ, ab iis est abstinendum, vt probè consulit Mathiol.in Dioscoridem.

Pillulæ ex Esula.

Hydropicorum quoque aquas ab aluo deducunt non leui perturbatione, vt idcirco solis robustis atque iis non febricitantibus conueniant.

℞. cort. radicis esulæ minoris maceratæ horis xxiiij. in aceto & succo portulacæ ʒ.ij.
grana ricini expurgata torrefactaque, quadraginta.
myrobal.citrinarum ʒ.jß.
chamædryos.
camepit.
spicæ nardi.
cinamomi an ℈ ij.
Trita omnia tenuissimè excipiantur ℥.j.
tragacantæ aqua rosarum solutæ.
Coquantur in massam.
Dosis ℈.ij.

Saguyerius.

His etiam magna vis est ad aquas educendas, ita vt non nisi robustis & iis quibus viscera sunt firma, sint exhibenda citra febrem & viscerum ardorem. Scribit autem Dioscorides huius herbæ radicem quæ vnica est, suo tempore non fuisse in vsu, cui subscribit Gal. à capillitio rotundo eam rotundam vocant Indagatores herbarum, peplum autem Græci.

Pillulæ de Cynogl ſſo.

Non ad purgandum quidem, sed ad omnes destillationes cohibendas comparatæ, siue in thoracem & pulmones cum tussi, siue in dentes aut aliò procumbant.

℞. myrrhæ ʒ. vj.
thuris masculi ʒ. v.
opii.
seminis hyosciami.
rad. cynogloſſi aridæ an. ʒ. ß.
croci.
castorei an ʒ. jß.
Cum aqua rosarum stillatia fiat massa.
Dosis à ℈. j. ad ʒ. ß.

Plantius.

Pillulis è Cynogloſſo rectè additum est Castorium, vt cui cum croco præcipua vis sit emendandi opii malignitatem, idque videbatur inconsideratè prætermissum.

Saguye-

Saguyerius.

De Cynogloſſo vulgari paranda esse hæc catapotia non est dubium, quod Dioscoridis lingua canis aluum emolliat si cum vino bibatur: vulgare autem oris & faucium vlcera terget, necnõ aliarum partium, recentia glutinat, eorumque calorem temperat. Cynogloſſum Dioscorid. experti sunt Alexipharmacũ præstantiſſimum contra fascinationes, Ciues Geneuę anno 1589. Sũt verò hę pillulæ comparatę ad destillationes cohibendas quęcumque in locum decumbant: Atque Castoreum additum est ad vim opii emendandam, quam omiserant Nicolaus & Cordus qui styracem rubeum præscribens nihil aliud intelligit ex suorum. 1. germanorum opinione, quàm Narcaphthum Dioscoridis, & eius loco cinamomum, Caryophill. & styracem rubeum miscuerat; sed conuenientius est Castorium.

Pillulæ de Ariſtolochia.

Summam incidendi detergendique vim adeptæ, Epilepſiæ, Paraliſi, Aſthmati, Tuſſi, veteri, Iecoris renumque incipienti ſcyrrho, nephritidi, ſuppreſſis menſibus, excludendo fœtui atque ſecundis vtiles: hyeme; humidiſque naturis conuẽtiores purgato iam corpore.

℞. rad. ariſtolochiæ rotundæ ʒ. j.
rad. gentianæ.
myrrhæ electæ an. ʒ iij.

Aloes.
Cinamomi an. ʒ. ß.
Zinziberis ʒ. j.

Omnia exquisitissimè trita excipiantur oleo amygdal. dul. recenti Datur ʒ. jß, ac protinus sorbendum Iusculum quo diluantur, vt citius suo munere fungantur, quod in detergendo & attenuando consistit.

Plantius.

Pillulæ Aristolochiæ his postremo vtiliter adiectæ sunt & præclarè institutæ, quod summa aperiendi vi polleant. Poterant & in potionem referri, sed quòd forent amarissimæ, catapotiorum forma tædio minori deuorantur.

Saguyerius.

Quemadmodùm superiores pillulæ ad sistendam fluxionem sunt præscriptæ, ita & hæ ad Incisionem & detersionem nullo comprehenso medicamento purgante. Commendantur ad morbos omnes à Fernelio nostro præscriptos. omnia enim quæ has constituunt pillulas, calorem notandum participant. Scribit præterea Mesues Aristolochiam rotundã purgatrice facultate donatam esse, & sic deiicere pituitosos ac bilioſos humores : quos tacuerunt Dioscorid. & Gal. etsi accidat amarori quo pollet summo tribuendum reor.

De An-

DE ANTIDOTIS : AC PRIMVM DE SOLIDIS quibus maximè principibus partibus robur additur.

FRANC. SAGVYERII præfatio.

ANtidotum, quod græcis ἀντίδοτον, in genere sonat contra datum, sed apud Medicos sumitur pro remedio venenis tota substantia repugnante, aut præcipuas partes roborante, quemadmodũ id quod veuenum in se continet, deleteriũ aut toxicum nuncupatur. Antidotorum autem varia sunt genera tàm simplicia quã composita, sicuti & deleteria multa: De illis agit nunc Fernelius & ipsis tribuit facultates tertias, quæ nec à temperamento nec à materia pendẽt, sed ab occulta totius substantiæ proprietate, sicuti & illa quæ purgantia appellantur. Rursum antidotorum aliæ solidæ forma parantur, aliæ liquidæ, de quibus nũc disputat noster author, seruato ordine qui memoriã Medici non parùm iuuare potest: si quidem eas primùm antidotos recenset quæ cerebro prosunt, deinde thoraci, pulmonibus & Cordi, hy-

pochondriis, ventriculo & ita ex cõsequutione quæ renibus, hepati, lieni & vesicæ auxiliãtur solidas primùm, deinde liquidas describit. Tandem proponit emendatiorem formam trochiscorũ & Eclegmatum, quibus comprehenditur omnium remediorum quæ vulgò seruantur in officinis ad internos affectus, præparatio.

Dianthon.

CErebrum imbecillũ recreat, eiusq; destillationes compescit, melancholiam & tristitiam quæ præter rationem fit, lenit, animique defectionem tollit.

℞ florem roriſmarini ʒ.ß.
Rosarum.
Violarum.
Glycyrrhizæ an. ʒ.iij.
Caryophyllorum.
Spicæ nardi.
Nucis moschatæ.
Galangæ.
Cinamomi.
Zinziberis.
Maceris.
Ligni aloes.
Cardamomi.
Anisi.
Seminis anethi an. ℈.ij.

Sacchari

Sacchari albi aqua saluiæ aut betonicæ soluti lib. jß. Cõcinnetur Electuarium per tabellas.

Saguyerius.

ὁ ἄνθος in genere floem signant græcis, vnde genitiuus ἄνθος & per contractionem ἄνθους, cui addita præpositio Δι. facit dianthus Cordi, quod Fernelius in plurali dixit Διάνθων. i. è floribus, fortaſsè quòd in hac antidoto sunt flores rosarum & violarum. In hoc equidem parua est differentia, sed cognitu non ingratam permultis fore suspicor. Cæterùm credo florem roſmarini per excellentiam vocari ἄνθος, hic enim vtilis est admodum in affectibus Cerebri & Cordis, sensus omnes & neruos confirmans, multò magis quàm maiorana.

Electuarium pleres Archonticon.

Cerebrum mirè corroborat, sensus excuit, abolitam memoriam restituit, epilepticos iuuat & asthmaticos, tristes, melancholicos & animi delirio pressos recreat, diuturno morbo confectos instaurat.

℞. cinamomi.
Caryophyll. Ligni aloes.
Galangæ. Spicæ nardi.
Nucis moschatæ. Zinziberis.
Spodii. Schœnanthi. Cyperi.
Rosarum. Violarum an ʒ.j.
Folii aut Maceris. Glycyrhizæ.

Mastiches.
Styracis cal.
Sampsuchi.
Balsamitæ.
Ocimi.
Cardamomi.
Marropiperis.
Mixtillorum.
Cort. mali citrii. an. ʒ ß & gr. vj.
Margaritarum splendidarum.
Been albi &.
Rubri.
Corallii.
Serici combusti an. gr. xviij.
Moschi gr. vj.
Caphuræ gr. iiij.

Sacchari albi aqua melissæ soluti decuplum vel etiam duodecuplum.

Plantius.

Quòd Antidoti principibus partib. corroborãdis destinẽtur, rectè earum compositiones ex partiũ corporis ordine hic instituit, ab iis exorsus quæ cerebro, deinde quæ thoraci aliisque partibus conuenirent.

Saguyerius.

Hęc Antidotus ab excellentia dicitur principalis implens, quasi vna sit inter alias quæ multa præstet sanitati conseruandæ aut restituendæ vtilissima. Itaque barbarè à Corto, qui

qui Nicolaum sequitur, πληρησαρχώπικον nuncupatur. Norunt enim Græci Idiomatis periti dictionem τὸ πλήρες designare perfectum, & ἀρχώνπικον præcipuum aut principalem. ὁ Ἄρχων enim principem denotat, sed hæc grammaticalia sũt, pergamus ad grauiora Cerebrũ roborare & ab eo pendentes sensus, testantur Medici qui ipsam præscripserunt, & sic Epilepticos iuuat, obliuiosos, Asthmaticos, melanchol. & animi delirio pressos, nec non diuturno morbo affectos. Notandum est spodium, quod cinerulam vocat, græcorum diuersissimum esse ab Arabico, illud enim metallicum est, nec sumitur intra corpus, hoc verò vegetabile & in remediis Arab. familiare, hepatis & ventriculi confortatiuum. Cæterũ In schœnantho, quod officinæ dicunt squinantum, & in folio indico quod indigenę vocãt Tamalapatra, vnde malabatrum vox Græcis & latinis familiaris, Cautiores esse debent Pharmacopœi, ne decipiantur ab Impostoribus qui pro his alia nescio quæ inodora planè & inutilia magno precio vendunt. Quod ad Iuncum odoratum attinet, σχοῖνος est iuncus, & ἄνθος flos, quem vix reperire licet, vt patet ex Galeno, cuius tempore non adferebatur. Et Garcias ait se vidisse in Insula quadam Oceani Indici, multos Iunci fasciculos & vili emisse, nullum tamen florem vidit. Cuius causam refert, quod in Arabia multi sint Asini, Muli, Equi, boues, Caprę & oues,

quæ nullum aliud pabulum norunt, quàm hanc herbam siue gramen : Camelos autem non in ea regione adeo frequentes esse scribit vt hoc gramẽ cum floribus depascere possint. Et si mihi credant nostræ officinæ, citra disputationem vtentur more solito, radice quã doctiores esse verum Acorum existimant, licet hoc magis calefacere & exsiccare scribant quàm Calamum aromaticum, aut supponant paleas aut calamos recentes ex Matthiolo. At verò pro folio Indo Nardum eiusdem regionis substituant, quod legitimum nunc adferatur labore & industria Lusitanorum, nõ verò succedaneum folii erit Macis vt scribit Cordus : qui etiam nisi codicis error sit, styracem calamintham legit pro Calamitam, id est calamis inclusam, vt integrior sit Lachryma. Quod ad Ben alb. & rub. radices adeò commendatas Arabibus in cardiacis affectionibus, videant Pharmacopœi, & Matthiolum consulant.

Diatragacanthum frigidum.

Omnibus pulmonis, thoracisque vitiis, peripneumoniæ, pleuritidi, tabi, tussi calidæ cum febre, faucium & arteriæ asperitati conuenit.

℞. gummi tragacanthæ albissimi ʒ.j.
Gummi arabici ʒ,v.
Amyli ʒ.ij.
Glycyrrhizæ.

Semi-

Seminis papaueris albi.
Quatuor seminum frigidorum maiorum cortice liberorum an ʒ.j.
Caphuræ gr. v.
penidiorum ʒ.j ß.
Sacchari albissimi aqua violarum soluti lib.j. Electuarium concinnetur in tesseras.

Plantius.

Diatragacanthum calidis confert affectibus, viresque obtinet alterius compositionis quæ diapapauer appellatur, hæcque idcirco rectè prætermissa est.

Saguyerius.

Cordus hoc Electuarium vocat Diatragacanthũ, id est, è gummi radicis quæ eodẽ nomine donatur apud Dioscoridem: hæc autem lacryma manat ex ea radice vulnerata, ex eodem Dioscoride aut sponte ex Theophasto, ac deinde concrescit. Quod si quis huius dictionis Etymologiam requirat, intelligat Τραγάκανθον hirci spinam designare : & dicam ego rectius hanc Antidotum vocari Διὰ τραγακάνθης, quàm Diatragacanthum, ob rationes supra positas de præpositione dia cum genitiuo. Semen papaueris non addit Nicolaus, & maiorem quantitatem simplicium quàm Fernelius præscripsit. Caphuram Arabes frigidam & siccam 3°. gradu affirmant: alii autem quos sequitur Matthiolus, calidam dicunt quod sit

perquam odorata & adeò tenuium partium vt per se euanescat in auram, atque conflagret vehementer in aquam proiecta: vnde non leuis est suspicio vulgarem Caphuram illegitimam esse, vtpote compositam ex mastiche, aqua ardente & Zedoaria: sicuti se certò scire autumat idem Matthiolus. Garcias Lusitanus Medicus Caphuram legitimam, quę est gummi arboris nuci iuglandi similis, frigidam esse asserit, idque se nouisse experientia ait, quòd hæc Ophthalmias ceu oculorum inflammationes & adusta refrigeret niuis modo: cui subscribit Fernelius vt legitur 17. cap. lib. 5. therapeut. reponit enim eam inter medicamenta frigida quæ capitis ardores & deliria moderantur. Nos autem, vt tantos authores conciliemus, dicemus natiuam frigidam esse, factitiam calidam: illamque apud nos raram, hanc frequentem: & nihilominus qui frigiditatem ipsi tribuunt, credunt simul odoratam esse propter partium tenuitatem quâ facilè euaporet ac exhalat qui in superficie est odor, vt idem Garcias ratiocinatur. Cæterùm hoc gummi Tragacanthæ aptissimè tussim veterem ac arteriæ asperæ inæqualitates lenit & faucium asperitates: quo fit vt in talibus affectibus sit hæc Antidotus, & potissimùm si adsit calor nimius. Quod si quis quærat quamobrem Diatrag. calidum neglexerit Fernelius, cùm sæpissimè contingat, distillationum frigidarum violentia premi ægros, dicam vtramque

tamque ex Iride paratum Antidotum illius vices quàm optimè supplere & sic frustrà additam fuisse calidam more Arabum, qui confusione delectantur.

Diaireos simplex.

Thoracis pulmonumque vitia blandè attenuando expectorat, sputumque facilius reddit: calidis morbis increscentibus aut frigidis leuioribus accommodatum.

℞. rad. iridis florentinæ ʒ. j.
Pul. elect. diatrag. frigidi.
Sacchari candi an. ʒ. ß.
Sacchari albissimi hyssopi aqua soluti ʒ. viij.
fiat Electuarium solidum.

Saguyerius.

Ireos & iridos in genitiuo facit Iris, radix aromatica, vnde dia ἰρεος vel ἰριδος dici potest hæc Antidotus, sicuti & sequens quæ composita dicitur propter maiorem copiam simplicium, vtraque verò thoracis & pulmonum vitiis succurrit, & sputum facilius reddit, sed posterior maioris est efficaciæ, vnde fit vt morbis frigidis inueteratis opem ferat, quales sunt Asthma, Raucitas & tussis obstinatior. Hanc Nicolaus appellat Antidotum Salomonis, nescio quam ob causam, nisi quòd ab aliquo huius nominis fuerit primum præscripta.

Diaireos compositum.

Benefacit calidis morbis iam inclinantibus & frigidis inueteratis vt tussi, Asthmati, raucitati.

℞ rad. iridis ʒ. ß.
Pulegii.
Hyssopi.
Glycyrrhizæ an. ʒ. iij.
Tragacanthæ.
Amygdal amararum.
Pinearum.
Cinamomi.
Zinziberis.
Piperis an. ʒ j. ß.
Seminis lini.
Attheæ.
Fœnigreci an. ʒ. ij.
Sacchari albissimi aqua tussilaginis soluti lib j. vel ʒ xiij.

Plantius.

Electuarium diaireos compositum est hic quoq; pro electuario diatragacātho calido, & pro Electuario diapenidion, quæ idcirco non nisi frustrà & pharmacopoeorum iactura his inseri possent, hac autem compositione pro caricis, passulis, pulmulis & styrace, quæ malè ad hanc compositionem apta erant, rectè substituit semen lini, altheæ & fœnigreci, quibus vis eximia est ad inueterata pectoris vitia.

Dia-

Diacalamynthes simplex.

Contumacia & inueterata pectoris pulmonumque vitia, horumque crassos lentosque humores attenuat, detergit & expectorat, flatus discutit, concoctionem, alimentiq; distributionem adiuuat. vrinas, menses, sudoresque ciet.

℞ calaminthes montanæ.
Pulegii.
Petroselini.
Seseleos.
Origani an ʒ ij.
Seminis apii.
Cymarum thymi an. ʒ. ß.
Libistici. Piperis.
Smyrnii an. ʒ. j.
Sacchari albi aqua violarum aut rosarum soluti lib. ij ß. fiat Electuarium.

Plantius.

In hac Diacalaminthes compositione rectè adiectum videtur origanum; in cæteris Galeni compositionem author est imitatus, & simplicium pondera, præterquam in Libystico & in pipere, hic enim libystici semissem dumtaxat, piperis verò sextantem, quod scilicet cōpositio hæc quadrans solum sit totius eius quæ à Galeno describitur lib. 4. de tuenda valetudine. Quùm præterea in cæteris electariis suprà descriptis quæ mitia erant, suaui sapore nec vsu difficilia, sextuplo aut octuplo

saccharo puluerescexceperit,in hac certè compositione quæ calida multum est & vsu difficilis,duodecuplum adiecit.Hæc porrò Diacalaminthes compositio earum vice etiam fuerit, quæ appellantur Diahyssopu & Diaprassiu,& quæ iure tanquam superuacuæ exolescant,ne multitudo grauis sit.

Saguyerius.

Hæc Compositio authorem habet Galenum lib.4.sanitatis tuendæ,nisi quòd Origanum adiecit Fernelius , & libystici semissem sicut piperis sextantem solummodo posuit, quoniã quadrans tantũ est antidoti à Gal. descriptæ.Origanum autem tussi medetur linctum ex melle , & extenuandi facultate præditum est. Aliam compositionem ex Mesue proponit Cordus,quã inutilem iudico, quod nihil possit præter galenicam: quoniam verò duo calamintharum genera recipit, ἀλλὰ καλαμίνθων vocauit idem Cordus,& id rectè,sicuti errauit nuncupans similiter Antidotum Galeni quæ vnicum genus admittit Frustrà etiam laborem insinuet Pharmacopœus qui è prassio & hyssopo compositiones præparabit,satis enim erit hæc pro omnibus illis , & aliis multis quæ in dispensariis vulgaribus continentur.

Diamargaritonfrigidum.

Febrium æstus atque malignitatem compescit

pescit,cor munit , roborat,& à maligna contagione vendicat, animi defectione & syncope liberat,mœroremque discutit.

℞. quatuor seminum frigid. maiorum mundatorum.
seminis portulacæ.
papaueris albi.
endiuiæ.
oxalidis.
& citrii.
trium santal.
ligni aloes. zinzib.
rosarum rub.
florum nympheæ.
buglossi.
& violarum.
bàccarum myrti.
ossis è corde cerui.
eboris.
doronici romani.
cinamomi an.ʒ.j.
coral. albi & rub.an.ʒ.ß.
margaritarum splendidarum ʒ iij.
ambaris.
caphuræ,an.gr.vj.
moschi gr ij.
saccharı albi aqua buglossi vel rosarum soluti ℔.ij.

Plantius.

Hoc Electuarium Diamargariton,vt præ-

stantius & efficacius existeret, supra vulgatè descriptionem quæ incerti est authoris rectè & vtiliter continet semina endiuiæ, oxalidis & citrii, ebur quoque, os è corde cerui, doronicum romanum, cinamomum: quæ constat omnia cardiaca esse. Nonnulli etiam in hoc Electuarium gemmarum fragmenta adiecerunt, sed tamen frustrà, quùd omnia in electuario de gemmis comprehensa sint, quòd huic interdum præscribendo admisceri potest. Hoc autem calida pauca continet aromata, frigida vero plurima, vt idcirco tutus sit vsus.

Saguyerius.

Miror quid mouerit Plantium vt diamargariton frigidi descriptionem incerti Authoris esse diceret cum vulgo ad Nicolaum referatur teste Cordo: Verum quidem est Fernelium addidisse semina endiuiæ, acetosæ & mali citrii, necnon os de corde cerui, item doronicum romanum, quod idē Fernelius credidit esse Arnabonem Pauli Æginetæ, contra Mathioli sententiam lib. 2. epistol. vltima, qui existimat Carnabadium Actuarii esse Doronicum romanum, quod affertur ex Alexandria Ægypti & Gargano monte apuliæ, qui hodie mons sancti angeli dicitur, sed viribus infirmus est. Obseruandum autem eundem Matthiolum dubitare in epistola de eo quod planè affirmauit in Dioscorid lib. 2. & cap. de orinthogalo

orinthogalo doronicum videlicet esse Carnabadium, sic non rarò incerti sumus in diiudicandis quæ nobis non sunt bene cognita. Quantum ad cordis ceruini os quod nonnulli negant reperiri, vt Vesalius in sua anatome & alii affirmant vt & Arabes eorum sectatores, qri scribunt ipsum mire cardiacum esse, si mihi licet dicere quod sum expertus anno. 1588. Asseram eodem anno captos duodecim ceruos in quorum corde nullum os tale repertum est. Venatores autem, vt mihi aliquatenus satisfacerent, nescio quid superstitiosum proposuerunt. Admonet autem Pharmacopœos Mathiolus ne bubulam arteriam asperam pro esse ceruino compositionibus cardiacis admisceant: Ego verò consulerem, lite pendente vt cornu cerui substituerent, ita suadente Fernelio cap. 11. lib. 5. method therap. Et pro Agallocho, quod Indi vocant Agalangem, Rhaponticum ceu centaurium maius substituendum scribit Galenus, cuius tempore multa erant incognita quę sunt notissima per Lusitanorū frequentissimas nauigationes: vnde fit vt consulā Pharmacopœos verum Agallochum suis compositionibus admiscere, etiamsi ematur multa pecunia, cum in India veniat libra vna trib. aureis, quoniam eius arbores raræ sint vt asserit Garcias, eæque sunt oleæ similes: aut si vero & legitimo destituantur, Caryophyllos aut cinamomum adiiciant vulgare calidum

ficcum & vtcunque astringens, quod est cassia lignea aut canella ex Matthiolo, & Garcia, qui ait Indos nullam facere differentiam inter hæc duo, & Cinamomũ dici quasi Chinę amomũ, quoniã odore præstet & ex China afferatur: Cassiam vero corruptum esse nomen a græcis, cum Indis vocetur Cais manis. Quare autem agallochum dictum sit χυλόαλοε aut lignum aloes me ignorare lubenter fateor, nisi forsitan ab Agalangem Arabum sit per corruptionem deductum, sicuti & complura alia quæ nostris in dispensariis reperiuntur per commixtionem aut deprauationem idiomatum græcorum, Indorum & Arabum: Certum enim est Aloen herbam esse, xyloaloem verò lignum: pro quo nostræ officinæ Oleastrum rhodium, falsò dictum Aspalathum suppeditarunt aliquando, vt admonet Matthiolus. Margaritas ignorarunt Dioscorides & Galenus quæ fuerunt Arabibus notissimæ, & ad medicamentorum cardiacorum maximè expetitæ, sicuti & Mauritanis, quos sequuntur nostri Pharmacopœi eorum præscripta dispensantes, earum pondus & coloris elegantia perit temporis tractu, hanc tamen restitui norunt Medici docti si agitentur diu in oriza leuiter confracta addito sale: quò fit vt non sit certum signum bonitatis expetendum à splendore, sed pondere potius. Si pulueratę admisceantur Collyriis, oculorum nubeculas detergunt, & aquam eo defluentem ab-

absumunt. Minimæ quæ perforari nequeunt sunt officinis familiares In Ambaro deligendo cauti esse debent Medici & Pharmacopœi, cuius hæ sunt notæ, puritas, cineritius color, aut qui constet venis partim cineritiis, partim candicantibus, leuitas, & multi humoris oleacei eo acu perfuso, resudatio. Ruellius vocat Ambram griseam, terræ genus esse scribit Garcias cuius inuentum fragmentum trium ferè millium pondo esse autumat anno. 1555. Nicolaus Monardis Hispanus Medicus asserit bituminis esse genus ex fontibus in alto mari manans, quod aeri expositum statim densatur, & quod nobis mittit florida noui orbis prouincia griseum videlicet liquidambar, & oleosum quid ab ipsa sic vocata resina, stillãs, noua ad veterem eriam mittit Hispania vnde in Galliam asportatur. styracem liquidam emulatam in odore validissimo. Hoc oleum autem elicitur ex liquidambare recenti, quod positum in loco conueniente talem liquorem emittit, longè suauiorem resina ipsa quæ colligitur per incisionem ex arbore procera, ramosa & pulchra, cui folia adsunt hederaceis similia, crasso cortice & cinereo: & quam vocant Indi Ococol per expressionem etiam elicitur hoc oleum, vt sit copiosius, nam chirothecis imbuendis plurimum absumitur. Vocatum autem liquidambar existimo quasi liquidũ ambatum, quoniã vt styrax liquida, est resinosum liquidambar, & vim habet incidẽ-

tem, calefaciẽtem, resoluentem & Anodynam quemadmodum & id quod Arabes vocant Ambar Atque præter hæc veteri morbis à causa frigida vtrumque prodest occulta quadam proprietate. Cæterùm tribuunt Arabes huic Electuario vim cardiacam, & compescendi malignitatem febrium pestilentium: Imò & ardores Causonum quas sæpè comitatur syncope aut lipothymia, febre ipsa multò periculosiores.

Electuarium de gemmis.

Cor eximiè roborat, idque in febribus à maligna & pestilenti putredine tuetur, animę defectioni, cordis palpitationi & tristitiæ spontaneæ succurrit.

℞. margaritarum splendidarum ʒ jß.
Saphyri.
Hyacinthi.
Sardæ, id est corneolæ.
Granatorum.
Smaragdi an. ℈.ij.& gr.vj.
Zedoariæ.
Doronici.
Corticum citrii.
Mali, maceris.
Seminis ocimi caryophyllati an. ʒ.j.
Coralli rub.
Succini.
Eboris an. ℈.ijß.
Been albi & rub.

Caryophyllorum.
Zinzib.
Piperis longi.
Spicæ indicæ.
Folii.
Croci.
Cardamomi maioris an. ʒ.ʒ.
Trochiscorum diarrhodon.
Ligni aloes an. ßij ß.
Cinamomi.
Galangæ an. ℈.ij.gr.v.
Foliorum auri & argenti an ℈.j.
Ambræ ʒ.j.
Mosch. gr xv.
Sacchari albi ℥.xx. quod est octuplum.

Plantius.

Electuarium è gemmis omne ferè calidorum aromatum genus complectitur, neque ea iam harum fragmenris multum retũduntur. Expediret igitur portionem eorum subtrahere præsertim been album & rubrum, piper longum, cardamomum maius & foliũ quod etiam rarò suppetit.

Saguyerius.

Obseruatione digna est Pet: Mathioli sententia quę habetur lib. 5 epistol. & dignissima quam sequantur Pharmacopœi, quod ipsam addiderit sub finem examinis Aureæ Alexandrinæ ad Pharmacopœũ scribens his verbis: Semper credidi lapides quantumuis leuiga-

tos ab innato calore non immutari, ſicuti nec argentum nec aurum: Item ex aduerſo nec temerè factum dicam, ſi quis magis ſequutus vulgarium opinionẽ quàm rationem, hoſce lapillos admiſceat: Nam tametſi nihil adferant auxilii, nocere non poſſunt. Audimus hic Medicum doctiſſimum conſuetudini magis quàm rationi ſubſcribere, quemadmodum & legimus de D. Capellano Archiatro regio, qui interrogatus de cornu Monocerotis, quam infundunt vino quod eſt Rex bibiturus, reſpondit nihil damni hanc conſuetudinem allaturam quamuis non ſit profutura, nec facilè ratione vincere poſſe quod eſt aſſuetum a tot annis & in principe quem tanti facit omnis Gallia. Pro ſmaragdo vult Garcias Turquezam nobis dictam iniiciendam huic electuario, quam feruzegi vocant Arabes, aut Peruzam: ſcimus autem ſmaragdum raram eſſe & precioſam gemmam, vt ſaphirum vilem, cuius duo ſunt genera, vnum obſcurius, alterum ſplendens aut aqueum: hyacinthum etiam omnes norũt quem nõnulli rubinum flaueſcentem appellant, ſicuti granatum dicũt rubinum nigricantem Sarda verò à ſardinia inſula nomen habet, vbi naſcitur plurima, & quòd carnis colorem referat, ſed rubedine diluta, Carnalina vulgò dicitur. Notandũ eſt quod ſcribitur in annotationib. Valerii Cordi ad eius videlicet tẽpora ignoratã fuiſſe ſardam. Coralli tria ſunt genera, rubrũ, nigrum,

nigrum & album, ſed rubrum frequentius eſt cæteris, omnia tamen facinnt cardiaca Arabes. Hic tamen rub. ſolummodo preſcribitur, vt & apud Meſuem, quod vulgò credatur cæteris antecellere: vbi tamen refrigerio maiore opus eſt, album magis frigidum eſſe conſentiunt omnes, etſi huius non meminerit Dioſcorides. Ocymum Caryophyllatum alia duo genera odore iucundiſſimo ſuperat, vndeſit vt illis anteponatur in roborando corde. Cardamomum Arab. diuerſum eſt maximè ab eo quod proponit Dioſcorides, vt faciunt Arabes duo Cardamomi genera, maius videlicet & minus, atq; hoc melius exiſtimant Garcia teſte quoniam eſt odoratius, et ſic ratione facultatis maius dici poſſet merito: vtroque abundat India, et frequens eſt in vſu. Vnde in Europam, Africam & Aſiam euehitur eodem authore. Eſt igitur hoc ſumendum iis qui hoc Electuarium parant, quòd Meſues Arabs ſit eius author: ſaccolaa dicitur Auicennæ. Matthiolus lib. 5. epiſtol. vbi præparationem Theriacæ emendatam proponit in gratiam Pharmacopœi cuiuſdam Bononienſis pro græcorum Cardamomo quod planè exoleuit, vulgare officinarum cenſet vſurpandum & maius anteponit minori, quoniã acrimonia, odore & amarore antecellit. Caput autem & ſtomachum manſum expurgat. Zedoariam cum præſcripſiſſet Fernelius, zezumbet neglexit, quod viribus & figura non

parum conueniant: vnde factum est vt Carolus Clusius dubitando tamen, dicat Zedoariam nostram esse ex generibus Zerumbet. Et diu antè scripserat Serapio cap. 172. lib. de simpl. Zerumbet esse Zedoariam. Cæterùm creditur vulgò hoc Electuarium de gemmis esse valde Cardiacum, & in febre pestilenti maximè obsistere putredini, & tristitiæ spontaneæ: habenda tamen ratio caloris præter naturam, quoniam sit hæc Antidotus ex permultis calidis contexta.

Electuarium diambræ.

Cor, cerebrum, principesque partes corroborat & exhilerat, insitum calorem senibus præsertim ac imbecillis, frigidisque naturis suscitat, non alimenti modo, sed & frigidorum humorum concoctionē iuuat: omnemque corporis ac vteri perfrigerationem discutit, vt idcirco ad concipiendum conferat.

℞ cinamomi.
Doronici Romani.
Caryophyllorum.
Maceris.
Nucis moschatæ.
Folii.
Galangæ an. ʒ. iij.
Spicæ nardi, cardamomis maioris & minoris an ʒ. j.
Zinziberis ʒ. j. ß.
Santali citrini.
Ligni aloes.

Piperis longi an. ʒ. ij.
Ambaris ʒ. j.
Moschi ʒ. ß.
Singulæ puluerís vnciæ excipiuntur singulis libris sacchari aqua rosarum soluti.

Plantius.

Diambras ex omnibus quoque aromatum generibus promiscuè nulloque delectu congestis atque confusis constitui videtur, quemadmodum & diacimin»v & dianis»v & diacinamomum, diazinziber, diatrion pipereon & diaxylo aloes, diamargaritum calidum, diamoscu dulce & diamoscu amarum: quæ omnia vehementer calida sunt, ex calidis minimè repressis constantia, vt idcirco videantur eadem facultates sortiri, & eosdem penè affectus proferre. Quocirca reliquis omnibus suppressis author hic vnica diambræ compositione inseruit, quę vice sit omnium, ne multitudine obruatur Medicinæ studiosus, & ne immodicam Pharmacopœus iacturam faciat. Sed & in hac compositione quę vt cæteræ vehementer calida existit, vtilissimum putarem subtrahere Cardamomum vtrumque & piper longum, atque pro his substituere rosarum rub. ʒ. iij. vix enim aliter vti ea liceat in calidis naturis aut æstuoso cœlo, in febribus, aliisue morbis calidis. Sed & immodicus compositionum eiusmodi calor

effecit, vt & vsus quoque difficilis esset, & tanquam inutiles exoleſcerent: quemadmodum diatrium pipereon Galeni & diacalaminthes. Hęc autem proſpiciẽs author rectè iuſſit pulueres duodecuplo ſacchari excipi, lęa nimirum ſuauitati conſulens.

Saguyerius.

Ad Meſuem refert Cordus hanc Antidoti compoſitionem, quæ etiam calidiſſima continet medicamenta, vt & prior nihil admiſcito quod calorem ipſorum retundat, proinde non exhibenda niſi ſummè refrigeratis: hincque factum eſt vt nonnulli excluſis Cardamomo vtroque & pipere longo atque imminuto Zinziberis pondere, roſarum rub. ʒ. iij. aut ʒ. ß. adiecerint. Ego verò ſatis eſſe iudicarem Pharmacopœo ſi libram vnam huius electuarii in ſua officina paratam habeat: nihilque opus eſſe credo aliis permultis compoſitionibus quas propoſuerunt Arabes, quòd ſint eiuſdem facultatis, vt patet ex annotationibus quæ ſingulorũ vires deſcribunt ſub finem aut initium deſcriptionum. Et certè dubium non eſt tot medicaminũ apparatus diſpendio eſſe tàm Pharmacopœis quam ægrotis. Valeant igitur Dianiſu ceu Antidotus ex Aniſo, ex Cumino, Cinamomo, galanga, moſcho, hyſſopo, Coſto, Agallocho, è triplici piperum generibus, è zinzibere, & quod à duce nomen habet. Item Iuſtinum & ſimilia Electuaria quæ nihil aliud poſſunt, vt diximus, quàm illa quæ

deſcripſit Fernelius.

Puluis Cardiacus.

Cor mirificè corroborans & muniens ne in peſtilenti conſtitutione contagione offendatur: in ardenti febre & æſtuoſo cœlo tutus, quòd moderato ſit cælore.

R. rad. tormentillæ.
Dictamni.
Tunicis &.
Scabioſæ. ſeminis acetoſæ.
Endiuiæ.
Coriandri Præparati.
Seminis citrii.
Rutæ &
Cardui benedicti an. ʒ. j.
Trium ſantalorum.
Been albi & rubri.
Doronici Romani.
Ligni aloes.
Zedoariæ.
Cinamomi.
Cardamomi.
Macis.
Croci.
Roſarum rub.
Florum bugloſſi vtriuſque.
Florum nympheæ an. ℈ ij.
Raſuræ eboris.
Spodii.

Ossis è corde cerui.
Coral. vtriusque.
Succini.
Margaritarum splendidarum.
Smaragdi.
Hyacinthi,
Granati an. ℈ j.
Serici crudi torrefacti.
Boli armenæ.
Terræ lemniæ an. ʒ. ß.
Caphuræ.
Moschi.
Ambaris an gr. vj.
Fiat pulvis & ex octuplo sacchari albi aqua rosarum soluti concinnentur tabellæ.

Saguyerius.

Oleum & operam perdentes qui Arabum vestigiis inhærere meminerunt cuiusdam cōfectionis, cui liberandi vim tribuunt, & potissimum à pestilenti contagione, atque ipsi ipsi aliam iungunt, quæ etiam præseruare cor in peste potest: quæ planè superflua est, vnde factum vt Fernelius meritò alteram omiserit, contentus descriptione cardiaci pulueris moderatè calidi, cui ea sunt adiecta quæ calidorum aromatum violentiam & æstum temperare possunt: Cordialem vocatam confectionem prætermisit, liberantem propositi, quæ longè pluribus constat quàm cordialis.

Id

Id interim obseruatione dignū est quod pro smaragdo hyacinthum aut granatū supponat Cordus. ego autem sine his antidotum valere iudico, & sine multis aliis quæ aut non repetiuntur, aut nihil pro sunt.

Aromaticum Rosatum maius.

Moderato calore ventriculum omniumque viscerum concoctionem adiuuat, cruditatē emēdat, humores superuacuos absumit, flatus discutit, ex morbo conualescentibus aptissimum.

℞. ros. rub. ʒ. xv.
Glycyrrh. razæ ʒ vij.
Ligni aloes.
Santali citrini an. iij.
Cinamomi electi ʒ v.
Maceris.
Caryophyllorum an. ʒ. ij. ß.
Gummi arabici.
Tragacanthæ an. ʒ. ij.
Nucis moschatæ.
Cardamomi. Galangæ an. ʒ. j.
Spicæ Nardi.
Ambræ an. ℈. ij.
Moschi ℈. j. Ex octuplo sacchari tabulæ concinnentur.

Saguyerius.

Hoc Electuarium dicitur Aromaticum, quòd Aromata, quæ vulgò dicuntur species, contineat multa, & Rosatum à rosis quæ in

maiori copia ponuntur quàm aliquot ex aliis odoratis ceu odoramentis. Atque ad neſcio quem Gabrielem refertur, quemadmodum Aromaticum Caryophyllatum Meſuem habet authorem, & vtriuſque parùm differunt facultates. Cæterùm dignum exiſtimo diſquiſitiones, quid pro ſantalo Machorizi ad hunc vſque diem vſurparint Pharmacopœi, cum inter eos qui Indiam nouerunt, non ſatis cognitum ſit hoc ſantali genus. Scio Cordum explicare Machorizi ſpeciem eius quod citrinum aut pallidum vocant, ficut & Monachi qui Meſuem ſunt interpretati, tenebris addentes nebulas obſcuriſſimas, huius epitheti ignari verterunt odoriferum. Garcias ſuſpicatur legendum Mazafrani, quod pallidum aut croceo colore infectum ſonat: & interim admonet vix deferri citrinum legitimum in Luſitaniam, quòd multò pluis vendatur in India quàm id quod in tàm diſtantes regiones ferretur, vendi poſſet. Carolus Cluſius in ea eſt hæreſi vt credat aliquod aliud lignum odoratum pro legitimo ſantalo obtrudi Pharmacopœis, quale multum inuenitur in Inſula diui Laurentii, vt ſcribit idem Garcias, qui ait vltra gangem vocari hanc Arborem Chandama, & alibi Sercanda, vnde vocem ſandal corruperunt Arabes & Mauritani. Fernelius pro machorizi habet citrinum. Rondeletius præceptor meus nunquàm ſatis obſeruandus pro ligno aloes vult ſumi internam partem ſantali

ſantali qui ab odore vocatur moſchatelinum. Quantum ad vires huius Electuarii, omnium viſcerum iuuat concoctionem, flatus diſcutiens, vnde fit vt à morbo conualeſcentibus proſit.

Elect. diarhodon Abbatis.

Ventriculi & præcordiorum æſtus temperat, ac eorum nihilominus concoctioni opitulatur, flatus diſſipat, doloresque lenit.

℞. roſarum rub. ʒ. j ß.
Santali albi &
Rubri an. ʒ ij. ß.
Tragacanthæ.
Gummi Arabici.
Eboris vſti an ℈. ij.
Maſtiches.
Spicæ nardi.
Cardamomi.
Succi glycyrrhizæ.
Croci.
Xyloaloes.
Caryophyllorum.
Galliæ moſchatæ.
Aniſi.
Fœniculi.
Seminis ocimi.
Acinorum berberis.
Seminis ſcariolæ.
Portulacæ &
Papaueris albi.

Quatuor sem. frigid. maiorum.
Rhabarb. electi.
Cinamomi an. ℈ j.
Margaritarum.
Ossis è corde cerui an.
℈ ß.
Caphuræ gr. vij.
Moschi gr. iiij. Ex octuplo sacchari aqua rosarum soluti fingantur tabellæ.

Plantius.

Ab Electuario diarhodon Asarũ subtraxit quod ventriculum subuertat etiam leuissimè tritum, & saccharum candum quòd nihil magis quàm saccharum album conferat. Electuarium diagalangæ tametsi à plærisque ad ventriculi cruditates celebratum, propter tamen immodicum calorem exoleuit, cuius etiam loco si res postulet, substitui poterit Diambras vel Diacalaminthes.

Saguyerius.

A rosis etiam nomen habet hoc Electuarium, & in gratiam cuiusdam Abbatis præscriptum à Nicolao, à quo nonnulla detraxit Fernelius, Asarum videlicet quod ventriculum subuertit primò, deinde vicinas & abiectiores partes ex consequutione purgat per vomitum: hoc tamen in Mythridatio non parùm vsurpandum censet Mathiol. lib 5 epistol. quoniã odoratum est medicamẽtum.

Mesues

Mesues autem scribit ei vim inesse vomitionem ciendi, atque per aluum & vrinam purgandi, Radices verò senis drachmis potas ex mulsa aqua ellebori modo purgare asserit Dioscorides. Rhabarbarum odoratum est & cardiacum, quo fit vt Auicenna in suis Theriacis loco Rhapontici miscuerit: clarificat sanguinem, & ventriculum ac Iecur roborat: Diarhodõn verò præcordiorũ tẽperat æstus, & nihilominus eorum iuuat vim concoctricem, propter diuersorum medicamentorum admixtionem. Saccharum candum neglexit Fernel. quòd nihil magis conferat quàm saccharum album. Cordus autem post Nicolaum ipsum addit quod eo melius conseruentur aromata, forsitan propter partium tenuitatem quæ facit vt perfectius misceantur: Candidum autem vocatur non quod sit albus communi, sed quod magis splendeat salis fossitii modo aut illius quod veteres Indũ vocabant, cuius inopia laboramus.

Elect. diatrium santallon.

Calidam Iecoris intẽperiem emẽdat, eiusque obstructi reliquias tollit. & icterum persanat, viscus ipsum & ventriculum corroborat.

℞. Trium santal.
Rosarum rub. an. ʒ iij.
Rhebarb. electi.
Eboris vsti.

Succi glycyrrhizæ.
Seminis portulacæ an. ʒ:ij.
Gummi Arabici.
Tragacanthæ.
Quatuor seminum frigidorum maiorum mundat.
Seminis intubi an. ʒ i. ß.
Caphuræ ℈. j.
Sacchari albi aqua rosarum soluti octuplum.

Plantius.

Ex electuario trium santalorum subtractũ est & exemptum amylum tanquam superuacuum, neque in hunc ordinem relatum est electuarium Diacubebæ, quod ad iecoris calidos affectus & obstructiones plerique celebrant, quandoquidem non aliud complectitur quàm hoc Electuarium trium santallorum.

Saguyerius.

Qui regiones Indicas peragrarunt, affirmant santalum alb. & pallidum plurimum reperiri in Insula quadam admodum portuosa cui nomen Timor & est vltrà Gangem: Rubrum intra gangem gignitur, vnde in occidentales regiones defertur sicuti & alia duo genera Lusitanorum diligentia: Recte igitur dixit Mathiolus contra Guillandinum santala officinarum legitima esse, modo non obsit Pharmacopœorum auaritia aut negligentia, vel

tia, vel potius simplicium turpis ignorantia, & potissimùm eorum qui è peregrinis regionibus adnos deferuntur. Admonuimus enim suprà ex Gartia Protegis Indiæ Medico vix deferri in Lusitaniam legitimum santalum citrinũ. Et scimus nostrum album planè inodorum, quod tamen illi affine esse debet in odore, & rubrum inficit atque dulce est, contra naturam legitimi qui his notis distinguitur à Brasilio, Quare autem non deferantur ad nos, aut in pauca quantitate, alb. & citrinum santala, causam reddit idem Gartias, quod Indi multum absumant in corporibus vngendis postquam ipsa macerarunt cum aqua in mortariis lapideis, vt possint regionis æstus violentos ferre commodius. Ex rubro verò sua conficiunt Idola & horum delubra, eoque vtuntur aduersus febres. Sed non parua sese offert dubitatio de qualitatibus santalorum. alii enim vt Arabes & eorum sectatores, inter quos Fernelius, omnia esse frigida gradu tertio & sicca secundo asserunt Mathiolus autẽ in epistolis palam arguit Arabes & eos aberrasse ait in diiudicando santalorum temperamento, vnà cum multis doctissimis Medicis. Certè si omnia odorata sunt calida, & alb. atque citrinum odorẽ præstare debeant, calorem etiam participare dicentur meritò. contra vero rubrum solum inodorum erit frigidum: Rursum dicet aliquis pro Arabibus tuendis, Incolas vti albo & citrino, in aqua con-

tusis ad corporum refrigerationem: cui respondeo volo aquam frigidam natura magis penetrare & subtiliorem reddi per horum admixtionem, quam solam, sicuti accidit quãdo ei salpetræ calidum admiscetur, vt in suis paradoxis subtilissimè disputauit Laurent. Iobertus: Sed quomodo dicunt omnes Medici hoc Electuarium calidam Iecoris intemperiẽ emendare, si calida sunt santala, à quibus nomen habet? Calidum etiam Rhabarbarum? facilis est solutio, quod æque multa admisceantur refrigerantia, & præterea rubrum santalum frigidum est, & sic moderato calore reliquias obstructionis Iecoris soluit & intemperiem relictam ex morbis calidis robur addendo visceri, Amylum, quod corruptè amydum vocant, omisit Fernelius, quoniam nihil iuuaret cum sit emplasticum & obstruens. Nomen autem obtinet à priuatione, id est, quod sine mola fiat, quam Græci τὴν μύλην dicunt, quasi ἀνεὺ τὴν μύλην, à enim est priuandi particula.

Diacrocu vulgo diacucurma.

Inueteratos hepatis lieniſque affectus soluit, peruicaces obstructiones atque iam incipientem schirthum euellit, hincque ortam Cachexiam & hydropis rudimenta persanat.

℞. croci.
asari.
petroselini macedonici,
dauci.

dauci.
anisi.
apii seminis an. ʒ. ß.
rheibarbari.
meu.
spicæ nardi an ʒ vj.
Costi. myrrhæ.
cassiæ ligneæ.
schœnanti.
carpobalsami.
rad. rubiæ.
succi absinthii.
succi eupatorii arefacti.
olei balsami an. ʒ. ij.
calami odorati.
cinamomi an. ʒ. i. ß.
scordii.
scolopendrii.
succi glycyrrhizæ an. ʒ. ij. ß.

Sacchari albi aqua endiuiæ soluti ddcuplum.

Plantius.

Electuarium diacrocu quædam continet admodum rara & quæ vix suppetunt nobis vt Cassiam ligneam, Carpobalsamum, Opobalsamum: quæ si prætermittantur, non minus efficax medicamentum erit ad ea quæ proposita sunt.

Saguyerius.

Cordus vocat hanc Antidotum Δι' ὀκτώ κον

græcè, & Arab. Diacurcuma, quasi idem sint Crocus & Curcuma: sed de croco Indico est intelligendum, cuius meminit paucis Dioscorides sub nomine cyperi quem profert India, zinziberis effigie, & curcumam dicunt officinæ. Est autem radix intus crocea, foris verò zinziber refert. Multum ergò abest à nostro croco, licet mansa croci more inficiat. Curcuma autem neque græcum neque mauritanum est vocabulum, licet Cauroch Aphris sit vsitatum pro Chelidonio maiore cuius radix est crocea. Cæterùm Persæ vocant crocum indicũ Darzard de quopropriũ caput scripsit Garcias, & radicem esse admodum acrem dum ficca est, minus tamen quàm Zinziber. Mirum certè quod crocum absolutè & sine adiectione præscripserit Fernelius, cùm id propriè de nostro croco videatur intelligendum: Costus autem Indicus, si haberi potest, vsurpandus qui aliquando visitur in Lusitania, aut eius loco Angelicæ rad: & pro Eupatorio ageratũ Dioscoridis, vt sentit Matthiolus aduersus Cordum qui scripsit passim gratiolam herbam summè Catharticam esse Mesue Eupatorium. Hanc Antidotum commendant in Iecoris ac Lienis affectibus inueteratis. soluit enim obstructiones & harum peruicacium schirrhos, vnde fit vt Cachexiam seu malum corporis habitum & hydropem incipientem personet: quemadmodum & quæ Dialacca vocatur, quam superiori efficaciorem

rem scribunt Medici.

Dialacca maior.

Ad iecoris, lieniſque veteres obstructiones, ad malum habitum & incipientem hydropem efficacior quàm diacrocu.

℞. Laccæ præparatæ.
Rheibarbari an. ʒ. iij.
Spicæ Indicæ.
Mastiches.
Stipitum schœnanthi.
Absinthii Romani.
Succi eupatorii Mesue.
Sabinæ.
Amygdal. amararum.
Costi.
Myrrhæ.
Rubiæ.
Seminis apii.
Ammios.
Fœniculi.
Et anisi.
Asari.
Aristolochiæ longæ & rotundæ.
Gentianæ.
Croci.
Cinamomi.
Hyssopi.
Cassiæ ligneæ.
Summitat. Schœnanthi.
Bdellii an. ʒ. j. ß.

Piperis.
Zinzib. an ʒ. j.
Sacchari albi duodecuplum.

Plantius.

Electuarium Dialacca maior, plires Archõticon & exhilerans veterem retinent componendi rationem, quòd satis accommodata viderentur ad affectus titulo designatos.

Saguyerius.

Laccam elaborari à formicis, vt mel ab apibus scribit Garcias, ex relatione viri apprimè honesti & cutiosi in rerum natura inuestiganda, qui regnum pegu in India lustrauerat, vbi nascitur, plurima, quam nominant Tirc: A Turcis verò, Arabibus & Persis Loc sumutri, quasi dicas Laccam & samatra, quæ est insula lineę equinoctiali proxima, nonnullis dicta Taprobana, in qua eam gigni putabant Arabes cum nascatur in India vnde in Samatram portabatur: Est verò arbor, ex qua materiam ad Laccæ generationem sugunt formicæ, vasta admodum, foliis quodammodo pruni, in cuius surculis & ramis minutioribus ipsæ formicæ magnæ in terræ viscoribus & aliis locis enatæ hoc medicamentum conficiunt, quod in mellis crassitiem dissolutum tàm ad tincturam quàm medicinam Laccæ nomen est sortitum: sic enim vocant Lac Arabes. Hanc Laccam non norunt veteres græci,

vt quæ sit diuersissima ab eorum Cantamo licet ita vulgò nuncupetur, ex doctrina Auicennæ & Serapionis, qui cum paulo credidérunt Laccam nasci in Arabia quemadmodum eam Lacrymam, quæ Caucamum dicitur, ligni Arabici esse scripsit Dioscorides. Matthiolus sequitur Arabum vestigia: quos omnes arguit Garcias, quòd Lacca in Arabia non gignatur, nec sit Lacryma arboris, nec odorata necmyrrhę similis. Arguit ét Monachos Mesue commentatores, quòd sanguinem draconis pro Lacca supponant, cum illud sit astringens, hæc verò obstructiones aperiat, vt ante ipsum annotauerat Matthiolus. Laccæ apparatam docuit Cordus dùm vult eius lib. j ʒ 4. decoqui in lib iij decoct. aristol. lõg. & schœnanthi an. ʒ ij.

Colatur aqua, in quam proiicitur lacca ad bulliendum donec ipsa aqua reddatur coloris sanguinei, per dissolutionem partis melioris ipsius laccæ, tum rursus fit colatura per pannum laneum aut filtrum, & crassiores ac sordidæ partes abiiciuntur. aqua verò rubea decoquitur lento igne & diplomate, ad mellis cõsistentiam, vt ex massa tepida formentur pastilli. Cæterùm dignũ est obseruatione quod annotauit Cordus, nobis proponens triplex Eupatorium, vulgare, græcorum & Mesue, per vulgare intelligens quod suo tempore à Pharmacopœis vsurpabatur, & ad Auicennã refertur: vbi malè dicit Græcorum Eupatori-

um non esse Agrimoniam: nec minus errat dum vult gratiolam vulgò dictam esse Mesue Eupatorium, quemadmodū admonuit Matthiol. lib. 3 epistol. Sumant ergò pharmacopœi Dioscoridis Ageratum cui Galenus tribuit vim digerendi & resoluendi: aut si hoc ad manum non habeant, nihil vereantur græcorum. Eupatorium supponere, cum sit hæc antidotus vtilissima veteribus obstructionibus lienis & hepatis aperiendis, quod etiam præstat hoc Eupatorium, robur interim addens visceribus. Obseruandum etiam quod passim per Bdellium officinæ intelligant gummi cui emollientē vim, discutientē & calefaciētē tribuūt, cū sit etiā arboris nomē à qua effluit hoc gūmi ceu Lacryma, teste Dioscor. & Plinio: cuius autem arboris arabicę fructum nobis depinxit Carolus Clusius Medicus Atrebatensis, nucis iuglandis magnitudine triangularem & oblongiorem nuce, ad ficum accedentem, odoratum, subcinereum & durissimo putamine.

Elect. exhileran̄s falso Galeno ascriptum.

Mœrorem & melancholiam, prauasq; cogitationes discutit, spiritus omnes suscitat, concoctionem iuuat, natiuum calorem auget & caniciem arcet.

℞. florum ocimi.
caryophyllati.
croci.

croci.
zedoariæ.
xylobalsami aut ligni aloes.
caryophillorum.
cort. citrii mali.
galangæ.
macetis.
nucis muschatæ.
styracis calamitæ an. ʒ. ij. ß.
anisi.
scobis eboris.
thymi.
epithimi an. ʒ. j.
caphuræ.
moschi.
ambaris.
margaritarum splendidarum.
ossis è corde cerui an. ʒ ß.
foliorum auri
& argenti an, ℈. ß,
Sachari albi octuplum.

Saguyerius.

Vulgo proponuntur Antidoti duæ quarum vna falso attribuitur Galeno per Nicolaum, quam nunc desctibit Fernelius, altera verò Arabi Rhazi, atque illa dicitur barbaris lætitiæ. hæc verò lætificantis, vtrique tamen facultates sunt similes, & proinde postremam neglexit noster author. Melancholiam discutiunt, spiritus suscitant, concoctionem iuuant,

& natiuum calorem augent. Zedoariam non vouit Galenus, vt nec galangam, nec Caphuram, nec multa alia quæ hanc Antidotum componunt Non igitur ascribi potest ipsi, & proinde arguendus est Nicol. & falsi insimulandus. Cordus ex Nicolao præscribit margaritas perforatas & Fernelius splendidas, quæ perforari nequeunt, ob paruitatem æstimantur: & quæ non splendent senectute pretii creduntur, atque exsuccas esse fatentur omnes.

Elect. diaspermaton.

Renes & vrinæ seminisque vias refrigerans ac leniens, ab omni humoris illuuie clementer expurgat.

℞. quatuor sem. frigid. maiorum & minorum.
seminis asparagi.
pimpinellæ.
ocimi
& petroselini, granorum halicacabi an ʒ.ij.
millii solis.
succi glycyrrhizæ an. ʒ iij.
cinamomi.
maceris an. ʒ.ij.

Sacchari albi aqua althææ soluti octuplum.

Saguyerius.

A seminibus quæ græcis πεπέρματα vocantur

uantur, nomen habuit hæc Antidotus. halicacabus autem est Arabicus Alkequengi, & vulgo vesicaria quoniã fructus eius in vesiculis continetur, vnde etiam φυσάλιδα vocant græci, quibus ἡ φύση vesicam designat. Plinius tamen sic dictam putat quod profit vesicæ vrinariæ, Milium solis nuncupatur græcis λιθόσπερμον, quasi sit semen lapidis instar durum. Admonet autem Matthiolus ex arabum testimonio, id frequens esse in montibus soler, vnde melius milium soler quàm solis diceretur, sed hæc parùm faciunt nisi pro tyronibus pharmacopœis qui loquẽdi proprietate delectantur & nominum etymologias nosse cupiunt. Cæterùm valet hoc Electuarium ad refrigerandos renes, vesicam, vreteres, & vasa seminaria, leniendo etiã purgat easdem partes ab omni humorum illuuie, vrinæ ardores temperat, & multùm vtile est nephreticis & calculosis, quod exturbet quę in iis partibus inhæresunt, & partium moderetur calorem qui est causa efficiens arenularum, calculorum & lapidum.

Elect. λίθων θρυπτικόν.

Lumborum dolores compescit, renum ac vesicę arenulas extutbat, nephretico dolori & dysuriæ succurrit, calculum sensim comminuit ac proterit.

℞. spicæ nardi.
Zinzib.

Cinamomi.
Melanopiperis.
Cardamomi.
Caryophyll.
Macis an ʒ ß.
Costi.
Glycyrrh.
Cyperi.
Tragacanthæ.
Chamædrios an. ℈.ij.
Seminis apii.
Ammios.
Asparagi.
Ocimi.
Vrticæ.
Citrii mali.
Saxifrag.
Pimpinellæ.
Cardui.
Dauci.
Fœniculi.
Ruſci.
Petroſelini.
Macedonici.
Bardanæ &.
Siſeleos.
Aſari an. ʒ.j. Lapidis ſpongiæ.
Lapid. Lyncis.
Lapid. cancri & lapid. Iudaici an ʒ.jß. Sanguinis hirci prępărati ʒ. jß. Fiat puluis. ex quo formentur tabellę cum ſaccharo decuplo aqua

aqua betonicæ ſoluro. Vrgente autem doloris neceſſitate aut vrina ſuppreſſa puluis purus datur ex paſſo cretico à ℈.ij. ad ʒ.j.

Plantius.

Electuarium diaſpermaton varie & ad plerosque affectus deſcriptum legimus, hoc tamen ſub eodem nomine aptiſſimè compoſitum videtur ad renum æſtus, vrinæ ardores & cæteros affectus qui titulo deſignantur. Ab Electuariò quod Lithontribon appellant, detracta ſunt ea inprimis quę vix vſquã ſincera inueniri queunt, & alia quædam aſtringẽtia, quæ obſunt cõfringendo calculo & exturbandis arenulis. Adiecta verò ſunt pleraque ſemina & lapides nonnulli, & ſanguis hircinus præparatus, quibus certè omnibus exímia vis eſt & facultas ad calculos & ad ſymptomata omnia eorum vitio genita. Si qua ex cauſa immoderatus huius calor metuitur, alterius Electuarii diaſpermaton temperatione leniri poterit.

Saguyerius.

Ab effectu nomen habet aut λίθων τρίῶν aut τριπόπηον, τρίβω enim græcè attero & λίθος lapis eſt, huic enim electuario vis eſt comminuẽdi ſenſim calculos. cuius calorem nimium ſi quis metuat, poterit commodè miſcere præcedentis portionem: omnia verò quę hoc cõſtituunt, calculo vexatis conueniunt, & ſunt

Pharmacopœis notiſs. Inter quæ ſunt lapides ſpõgiorũ, quos cõtra Dioſcor. aſſerit Gal. calculos quidẽ renũ frangere nõ verò veſicæ. Lapidẽ ẽt Lyncis dictũ diu credidere multi & annis coaleſcere ex vrina huiꝰ animalis, ꝙ eſt ex Luporũ ceruanorũ genere viſus perſpicaciſſimi: ſed hũc errorẽ detexerunt tandẽ hæc animalia in Galliam aduecta ex Africæ deſertis, vt ex quorum vrina non concreuerit talis lapis, quem omnes docti exiſtimant eſſe genus ſuccini authore Matthiolo, qui etiam ait, vt res loquitur, vulgarem lapillum quem monſtrant officinæ pro Lyncurio, nihil minus eſſe quàm legitimum Lyncurium: non negat tamen diureticum eſſe & calculis renum & veſicæ comminuendis idoneum. Cum enim ſic Medicorum & Pharmacopœorum vulgus aſſerere dixerit, non contradicit vt ſolet quoties aliorum ſententia non probatur. Idem ſcribit Gammaros, eo tempore quo cruſtam exuunt, & non alias, in capite gerere duos lapillos albos rotundoſq;, quibus vtuntur fœliciter Medici ad expellendos renum calculos, eos autem conterant & ex vino potandum exhibent. Videtur ergò Fernelius cancros & gammaros pro eodem accepiſſe, vt & alii permulti fecerunt, licet ſint piſces diuerſi. Lapis à Iudea vbi inuenitur nominatus multum efficax eſt aduerſus renũ calculos, vt experientia nouit Galenus, qui in veſicę calculis nihil iuuare etiam eſt expertus: & hunc Fernelius ſcribit à proprie-

prietate calculoſis eſſe auxilio, ſicut & multa alia quorum facultates non ratio, ſed experimentũ, detexit. Malè igitur Ioſephus Quercetanus Chemiater vocat proprietates occultas aſinorum anchoram ſacram, quaſi eſſet hic loquendi modus hominum ignorantium portus & refugium: quod quàm ſit à veritate alienum norunt omnes docti naturæ ſecretorum inueſtigatores. Imò ipſemet Quercetanus ſe inter Aſinos innumerat dùm cranium humanum proprietate quadam Epilepticis prodeſſe ſcribit cap. 2. lib. 1. de præparat. med. Suum etiam Paracelſum eodem loco habet, quem ſcimus multa effutiſſe de iis quæ fic agunt, videlicet à tota ſubſtantia ceu ab occulta proprietate: Nec ipſi vllo modo ſeruire poteſt quod ſal ſale diſſolui ait, & inde concludit ſimilia ſimilibus curari, quoniam ſpondylarum calculi, vitrum combuſtum, hirci ſanguis inarefactus, cochlearum cineres, Lapis Iudaicus calcinatꝰ & os ſepiæ, calculo aut renũ tartaro tãta vi ꝓ ſunt propter ſimilitudinẽ quæ eſt inter agens & patiens: nihil inquam, prodeſt hæc Chemiatri propoſitio, quandoquidem ſi hæc ratio fieret ſalis ratione, ſal quilibet id efficere poſſet, quod nõ dicet Quercetanus: reſtat itaque vt ad proprietatem occultam recurramus & dicamus ſalem huius vel illius rei hunc vel illum morbum abigere. Cæterùm nunc ex noua Hiſpania aduehitur lignum nephriticum & lapidis nephri-

ticus, quorum in expellendis calculis vim miram quotidiè experimur tàm sumptione quàm gestatione sola.

Elect. diacalaminthes compositum.

Potenter menstrua, omnesque vteri purgationes ciet.

℞. pulueris electuarii diacalaminthes simplicis ʒ. ß.
Foliorum prassii.
Sampsuchi.
Melissophylli.
Artemisiæ.
Sabinæ aridorum an. ʒ. j.
Cyperi.
Seminis rutæ.
Rubiæ.
Maceris.
Cinamomi an. ℈. ij.
Sacchari albi aqua parthenii soluti duodecuplum.

Plantius.

Electuarium Diacalaminthes compositum rectè his postremo loco adiectum videtur, quod nullum extaret ad vteri illuuiem expurgandam aptum.

Saguyerius.

Suspicor hoc Electuarium vocari compositum quoniam ad varios & mixtos affectus valeat,

valeat, videlicet ad inueterata & contumacia pectoris vitia, & ad vteri excremẽtorum crassorum illuuiem expurgandam. proderit itaque mulieribus tussientibus, & ab vtero eam ob causam laborantibus. continet enim medicamenta vteri morbis congruentia: Et idcirco suspecta esse debet grauidis, & iis quæ mensium profluuio laborant.

DE ANTIDOTIS HVMIDIS.

Antidotus Analeptica.

Vires omnes exolutas instaurat, cardialgiam, animi defectionem & syncopen tollit, corpus sanguinis profusione aut quauis immodica vacuatione extentum resarcit, tabidis & consumptis succurrit: humectans nimirum, nutriens & corroborans.

℞. ros. rub.
Glycyrrhizæ an ʒ ij. gr. v.
Gummi arabici &
Tragacanthæ an. ʒ. ij. ℈. ij.
Santali albi & rubri an. ʒ. j. ℈. j.
Succi glycyrrh.
Amyli.
Seminum papaueris albi.
Portulacæ.
Lactucæ &
Seriolæ an ʒ iij.
Quatuor sem. frigid. maiorum.

Sem. cydoniorum.
Maluæ.
Bombacis.
Seminis violarum.
Strobilorum.
Piſtaciorum recentium.
Amygdal. dulc.
Et pulpæ ſebeſten an ʒ. ij.
Caryophyll.
Spodii.
Cinamomi an. ʒ. j.
Croci gr. v.
Penidiorum ʒ ß.
Trita omnia excipiantur triplo ſyrupi violati.

Plantius.

In Antidoto Analeptica quam reſumptiuã appellant, nihil prorſus immutandum viſum eſt præter ſimplicium ordinem, quodque pro granis barbaris adiecta ſint piſtacia.

Saguyerius.

Huc genus Antidotum vocant diſpenſaria confectiones opiatas, quamuis opium nihil conferat ad earum compoſitiones, vt plurimum, noſter Fernelius appellat humidas Antidotos ad differentiam quas ſolidas nuncupauit: & ſic hæc duo genera non aliter diſtinguũtur q̃ prę paratione. Prima in ordine merito dicitur ἀναληπτικὴ ceu reparans vires, quòd humectet, nutriat & corroboret, animi defectionibus ſuccurrens & corpus extenuatum reſarciens, vnde reſumptiuum Nicolao quòd inter aromaticas confectiones recenſetur.

Antidotus diaſatyrion.

Semen genitale auget, venerem excitat, eamque ignauiorem & velut ſopitam erigit, renum & ſpermaticorum vaſorum imbecillitati auxilio eſt, & ad liberorum procreationem confert.

℞. Red. ſatyrii recent. ac ſolidæ.
Rad. paſtinacæ ſatiuæ.
Rad. eryngii.
Nucis indicæ.
Strobylorum.
Piſtaciorum an. ʒ j ß.
Caryophyll.
Zinzib.
Aniſi.
Seminis erucæ.
Linguæ auis quæ ſemen eſt fraxini an. ʒ. v.
Cinamomi.
Candarum ſcincorum.
Seminis bulbi an ʒ. ij. ß.
Moſchi gr. v.
Mellis optimi exſpumati ℔. iij.

Radices tuſæ coquuntur ex melle & ſubigũtur, his deinde nux Indica, ſtrobyli & piſtacia tuſa ſimiliter adiiciuntur: reliqua poſtremò exquiſitè trita.

Saguyerius.

Satyrium huic Antidoto nomen dedit quã malè vocat Fernelius Diasatyriõn, quòd vna ſpecies ſatyriũ ipſam ingrediatur, niſi forſan Typographus plurale ſatyrion pro ſingulari genitiuo ſatyriu aut σατυρίου delinearit. Hoc ſimplex medicamentum legitimum fatetur Matthiol. ſe non vidiſſe in Italia, ipſumque plurimum differre à teſticulo canis, qui græcis eſt Cynoſorchis, oſtendit, quamuis viribus non longè ſint diſſimiles, ſiquidem & ſatyrium & teſticulus canis Venerem ſtimulant, vnde fit vt vulgare ſatyrium pro legitimo non malè vſurpetur: dictum autem ſatyrium quòd deſideriũ libidinis exſtimulet: quemadmodum ſatyri qui in libidinẽ ſemper proni ſunt, dicuntur, à virili membro quod veteres græci σάτυν appellabant, & nos ſcimus σατυρίασιν priapiſmum & tentiginem deſignare, quemadmodum & σατύριασμον, prurítum ad venerem. Credit Fernelius Eryngiũ eſſe eam radicem quam ſecacul dicunt Arabes. Secacul habet Nicol. et eſt radix Indica, non verò Eryngium Auicẽnæ, non eſt etiam ſiſer vt ſcribit Cordus. Nux etiam Indica officinis ſatis cognita ſemen augere et ad libidinem excitare vulgò creditur, quòd calefaciat ordine 2°. humectet. 1°: eius vſu gigni Lumbricos ſcribit cognitum eſſe experientia Garcias ab horto: Item oleum ex nuce expreſſum ven-

ventrem ſoluere, nucem verò aſtringere & alui profluuium cohibere. Decerpitur autem ab arbore vaſta quæ folia gerit palmæ vel arundini ſimilia, licet latiora, flore caſtaneæ, & materia fungoſa. τὸ ὄρνεον autem græcis deſignant, vnde ὀρνιόγλωσσον, id eſt, lingua auis nuncupatur vulgò, & eſt ſemen fraxini quæ dicitur ornus ſyluestris Ruellio. Arbor eodem nomine inſignitur quòd ferat ſemen illud, vſurpatum à recentioribus Medicis ad Venerem ſtimulandam, ad multaque alia vtile ſi credimus Plinio. Tale ſemen etiam fert fraximus: Quantum ad caudas ſcincorum, ſciẽdũ eſt Meſuem ipſis addere renes & ſemen: Dioſcorides autem ex aliorum opinione refert carnes quæ renes amplectantur id poſſe, vt ſi drachmæ pondere bibantur, venerem accendant: Plinius verò ſcribit roſtrum & pedes ex vino albo potos ad libidinem veneream ſumentes excitare: ſed laterum eorumdem carnes cũ myrrha & pipere, æquali põdere potæ efficaciores creduntur. Verum bulbum Eſculentum nobis incognitum credit Matthiolus, & huius loco ſemen vrticæ ſumendum ait Cordus.

Antidotus è cocco baphico ſeu Alkermes.

Cor exhilerat, mœrorem ſine occaſione diſcutit, melancholiam domat et maniam, ſpi-

ritus viresque exsolutas resarcit.

℞. succi malorum fragrantium.
Aquæ rosarum an. lib. ij.
In quibus macera horis xxiiij.

Serici staminis crudi lib j. modicè bulliat & exprimatur, in liquore coquantur granorum infectoriorum ʒ. ij decoctum iam rubens coletur, in quo dissol. sacchari albi lib. j. ß.

Rursum coquantur ad mellis consistentiam, adiice sub finem ambræ crudæ contusæ ʒ. ß. cumque liquefacta fuerit inspergehos pulueres, ligni aloes crudi.

Cinamomi an ʒ vj.
Lapidis cyanei loti & præparati ʒ. jst.
Margaritarum non perforatarum ʒ ij.
Foliorum auri puriss. ʒ. j.
Moschj ℈. j.

Plantius.

Antidotus è cocco baphico, confectio Alkermes appellata, vix tutò potest ex serico iã tincto & vt vocant Karmesino comparari, quod id non sine galla, alumine & arrhenico, quod prorsus venenatũ est, infici soleat Multò igitur tutior atque præstantior est hæc cõponendi ratio.

Saguyerius.

Quod è grano tinctorio dicunt officinæ & Arab. Alchermes confectionem vocant græci

græci κόκκος βαφικός vt patet ex Dioscoride qui ait hoc grano vti infectores, cuius ʒ. ij. huic Antidoto nomen dederunt: Et scribit Auicenna lib. de viribus cordis sericum naturæ dote cor recreare & spiritus omnes pariores reddere: Hoc autem stamen, quod barbari dicunt setam, aliquando præscribitur crudum, tostũ vt in diamoschu tàm dulci quàm amaro vocato, nonnunquam autem cocco legitimè infectum, vt in syrupo de pomis inscripto, & in Alkermes, licet negauerit idem Auicennas sericum imbutum coloribus fullonum in Medicos vsus venire, sicuti est annotatum à Matthiolo in cap. 143. lib. j. Dioscoridis, vbi agitur de moro. Plantius reddit rationẽ quare reiiciendum sit sericum tinctum, videlicet propter gallam, alumen & arrhenicum quæ hanc tincturam ingrediantur. Commendatur autem hæc Antidotus domandæ melancholiæ, & mœrori cuius causa non est manifesta: quem in finem dantur ℈. ij. Dùm verò ventrem mouere volumus, offertur à ʒ. j. ad ʒ. ij. cum syrupo viol. vel buglos. vel capill. ven. vt præscribit Kondeletius.

Cæterum de Armenio lapide pauca sunt annotanda: Et primùm sciunt omnes ab Auicenna nomen accepisse, licet multus reperiatur in Vltabado vrbe celebri regni balagmate in India. Huic tribuunt tàm græci neoterici, quàm Arabes, vim purgandi humorem melancholicum, nigrum & terrestrẽ,

sed pluries lauandus est vsque ad duodenas vices vt legit Matthiol. ex Alexandro Trallia-no, qui tamen Matth. ait se nouisse experientia, etiã lotum diligentissimè nõ sine corporis perturbatione vomitum mouere & aluum deiicere scrupuli pondere haustum. Garcias autem ab horto asserit se experimento didicisse, quod segniter purgat. Ætius & Actuarius inter recentiores græcos nouerũt vim purgatoriam Armenii lapidis, quam aut ignorauit aut dissimulauit Galenus, vt patet ex lib. 9. simpl. hoc autem de lapide Armenio præmittere volui propter cognationem quam habet cum Cyaneo qui hanc Antidotum ingreditur: iisdem enim viribus atram bilem deiiciunt, sed tamen vnum ab altero differt, quamuis in iisdem proueniunt metallis, & sit Armenius materia Cerulei nondum perfectè cocta in terræ visceribus, quod colligitur ex Dioscoride & Gal. qui diuersa capita de iis scripserunt: vbi notandum quod Galenus vim detrahentem ceu scepticam, digerẽtem & vtcunque astringentem tribuit huic lapidi. nõ verò deiectoriam vt contra Manardum causatur Matthiolus.

Antidotus è baccis lauri.

Calore ac tenuitate flatus potenter discutit, colico atque etiam Iliaco dolori familiaris.

℞. Foliorum rutæ ʒ.x.
Ammios.

Cumini.
Nigellæ.
Libysticiseminis.
Origani.
Carui.
Amygdal. amararum.
Piperis longi.
Mentastri.
Dauci.
Acori.
Baccarum lauri.
Castorii an ʒ. ij.
Sagapeni ʒ. ß.
Opopanacis ʒ. iij.
Mellis optimi exspumati ℔. j ß.

Saguyerius.

Miror quare Rhazes non potius appellarit hanc antidotum è ruta quàm è baccis lauri, cùm harum tantum ʒ. ij. & illius decem sint additæ. Præterea dico ingratissimam sumenti fore, quòd recipiat medicamenta eiusdem farinæ, vt cuiuis patet satis, sed & lauri baccas magis quàm folia calefacere scribit Dioscorides & Gal. reliqua omnia nihil ipsis cedunt in calore. proinde ea vti non debemus nisi in morbis frigidissimis, qualis est colicus à pituita vitrea cum flatibus colum distendentibus: nec non iliacus à pituita multa lenta & viscida obstruente intestinum. His idcirco malis speciatim hoc Electuarium conuenire

scribunt practici: licet multa alia gratiora nec minus efficacia suppeditent nobis nostrę officinæ & medicorum consilia. Certè videtur Emplastrum componi ex iis quæ acceptiora forent sumenti quam hæc Antidotus, quam ad nos misit Arabia, & proinde solis Arabibus, id est, duris & agrestibus conueniens. Cæterum vocant græci baccam lauri δαφνιδία, & hanc antidotum idcirco recentiores nuncupant ἀλφιτόνιον, id est è baccis lauri.

Philonium.

Post sex menses datum ex opio vehementes & acerbos dolores consopit, colicos, nephriticos atq; pleuriticos: somnum accersit, destillationem sistit, tussimque lenit, sanguinis excreationem cohibet.

℞. Croci ʒ.v.
Pyrethri.
Euphorbii.
Spicæ nardi.
Myrrhæ.
Castorii an ʒ.j.
Piperis alb.
Seminis hyosciami an ʒ.xx.
Opii. ʒ x.
Mellis optimi exspumati ℔.ij
Huius dosis est à ℈.j. ad ʒ.ß.

Plantius.

Philonii hanc descriptionem Galeni authoritate

ritate & vsu comprobatam cæteris author prætulit, quod vna satis sit ad vehementes cruciatus consopiendos. Ei tamen. Mesuem secutus, myrrham & Castorium addidit, quæ neque Galenus improbat, vt tutior sit permistio, quandoquidem his peculiaris vis inest corrigendi opii. Si compositionis modus spectetur; hic opii pondus ei fere duplum est ℘ in philonio Romano. Philonium maius quod romanum appellant quoniam non nisi circiter dimidium habet opii, dupla dosi dari potest à ℈.ij.ad.ʒ.j.

Saguyerius.

A Philone quodam Medico hoc Electuarium nomen esse sortitum suspicor, qui primus tale medicamentum excogitauit, ad cuius imitationem Galenus & Paulus Ægineta suum etiam diuulgarunt, retento authoris nomine: Mesues etiam aliud nominauit Persicum longè pluribus constans simplicibus: Nicolaus rursum id præscripsit quod nominauit maius aut Romanum. Idem Mesues aliud proponit parũ differens ab eo ℘ approbat Galenus, si quidem ille Castorium miscet, hic vero Euphorbium, & Fernelius ex eodem Mesue addit myrrham, licet nõ addiderit Galenus, non improbauit tamen, quod habeat vim infrænandi opii, quemadmodum & Castorium. Calefacit enim & siccat ordine 2°. atque est odorata, vnde scribit Dioscori-

des eam soporem inducere, quod est proprium huic antidoto: recte igitur admiscebitur si bona & legitima sit ad manum, alioqui calamum aromaticum aut styracem calamiten, aut acorum: non verò piper nigrum vt quidam opinantur ex Auicenna malè intellecto. Si non adsit recens & suis dotibus prædita spica Indica, pro ea supponit Celticam Matthiol. in examine simplicium Theriacam ingredientiū & componentiū: Cæterùm aptissimè vocabitur hęc Antidotus opiata, quoniā opium satis copiosum accipit, quo legitimo nos destitui clamat Matthiol. Garcias autem eius esse varia genera pro regionum ex quibus adfertur, varietate scribit, & vario colore prædituū: ex Cairo enim album: ex locis mari Erythreo ceu rubro vicinis, nigrum: ex India, Flauescens. Est autē gummi aut lacryma papaueris quod ibi nascitur præ grandi admodum capite, & interdum capaci vnciarum 35. quibus incisis extillat opium. Ibi papauer nigrum non inueniri ait: & opii esu maximè delectari Asiaticos & Africanos, quo fit vt existimet Matthiol. hanc lacrymam nobis deesse, & pro ea succum eiusdem papaueris per capitum contusionem paratum, sumendum opii loco consulat, & iubeat vt ipsimet Pharmacopœi sibi parent ne ab aliis decipiantur: Aliud est quod paucis explicandum existimaui, vt habeant nostri Apothecarii quod possint respondere Claudio Dariot o Chemiatro

atro Belnensi, q eos arguit negligentię, ignorantiæ aut rerum bonarū cotemptus propter neglectam præparationem chemicam medicamentorum, sine qua tamen intelligi non potest quomodo opium amarum sit, & proinde calidum esse debeat ex axiomate Physico, quod ait omnia amara esse calida, & passim frigidissimum esse doceat tam medicorum doctrina quam ipsamet experientia. Vult itaque per Alchemiam solam posse dirimi hanc controuersiam hoc modo: Oleum quod vocant sulphur opii est summè frigidū. sal vero ceu terrestris potio calida, illud enim stupefacit carnē cui applicatur, hic verò sudores mouet. Sic Thessalico more quasi vicerit, ante victoriam canit triumphum, Cui paucis responsum volo oleum opii, opium non esse, vt nec partē terrestrē, quod Dioscorides velit hanc lacrymam amarā esse q̄ non est sulphur eius, & simul frigidum quod non contigit portioni terrestri. Opium ait, magis refrigerat quàm herba ipsa à qua exstillat. & optimū habetur graue, densum, gustu amarum &c. Præterea à maiori parte denominari totum ipsum vnanimi consensu dicunt Physici. non ergo ab exigua portione sulphuris ceu olei huius lacrymæ, quœ portio refrigerat, denominabitur opium, sed potius à sale. Restat igitur vt mixtæ sint hæ partes opii aereæ & terrestres, si ipsum simul frigidum & amarum reperire velimus, & sic fruſtra desudauerint

Chemici si nihil aliud quã quod proponunt ex tali apparatu se consequuturos existiment. Falso etiam dixit celebris quidam Chemiater, opium non correctum esse mortiferum, cùm id non habeat à natura, sed copia: recitat enim Garcias nonnullos Lusitanos factos impotentes ad Venerem & steriles vsu opii, non verò mortuos narrat: Imo & recitat plurimum esse eius vsum per vniuersam Mauritaniam & Asiam, vt supra annotauimus: quod etiam confirmat Bellonius in suis obseruationibus, asserens opium esse frequentissimũ in vsu apud Turcos & Persas: Atque quod magis est admiratione dignum, asserit idem Gartias se nouisse ὀπιόφαγον ceu opii deuoratorem, qui quoditie ederet opii laminas tres quæ penderent ʒ. decem & amplius: atque cum esset regi Indico à secretis licet dormitabundus semper videretur, doctè tamen de omnibus quæ proponebantur, & ad regis sui negocia pertinebãt, aptè disserebat. Tantum ait idem Garcias, potest ipsa consuetudo qui vulgo dicunt alteram naturam: qua de re prius nos monuerat Iacobus Hollerius in sua praxi medica: Et audiui ego à meo præceptore Guilelmo Rondeletio Monspelienſi Medico, se nouisse Medicum qui ʒ. ß. opii deuorauit citra noxam dum summus vrgebat æstus. Huic autem Antidoto non parua vis est aduersus summos dolores coli, renum, lateris & alios qui spiritus & naturæ robur dissipant.

Consopit enim sensus & somnum euocat, Catarrhos sistit, tussim lenit, & hæmoptysim cohibet, sed non nisi post sex menses est offerendum, vt opii vehementior frigiditas calidorum admixione temperetur.

Antidotus Requies appellata sine opio.

Summum febrium ardentium æstum restinguit, sitim lenit, deliria reprimit, somnum accersit, & requiem præstat.

℞. Rosar. viol. an. ʒ. iij.
Cort. rad. mandragoræ.
Seminis hyosciami albi.
Papaueris albi.
Scariolæ.
Lactucæ.
Portul.
Et psillii.
Nucis moschatæ.
Cinamomi electi an. ʒ. j ß.
Trium santal.
Spodii.
Tragacanthæ an ℈ ij.
Mellis optimi exspumati triplum.

Plantius.

Antidotus requies appellata minus habet opii quam omne Philonii & opiati genus: validè tamen refrigerat ex aliorum permistione, quia omnia ferè frigida sunt. Eius tamẽ vsus vix tutus esse possit propterea quòd Opium non satis emendatur calidorum mistione.

consopit

At verò si ea compositio sine opio comparetur, non parùm certè conferet ad leniendos ardentium febrium æstus & deliria & sitim & quæcunque symptomata ex febris feruore prodeunt. Cæteræ philonii compositiones exterminandæ sunt, vt minimum necessariæ, quemadmodum & Antidotus diolibana & Athanasia & musa ænea, & requies cum opio, & tryphera magna, & Esdra magna à quouis authore sit, & Aurea Alexandrina. Eiusmodi enim compositiones quæ opium habent, si ad dolores sunt compescendos, pro his satis fuerit descriptum philonium. Sin verò desiderantur, vel ad arcendam venen cuiusuis malignitatem & alios plerosque affectus, vt Tryphera magna, Esdra magna & Aurea Alexandrina, & Athanasia, satis pro his fuerint Theriace & mithridatium. Prætermittitur quoque confectio Anacardina his quas dixi planè contraria. Nam tametsi ad multos celebretur affectus, calore tamen quo summo exuperat, parùm tuta est quòd spiritus & humores promptè inflammet & febrem promptè accersat.

Saguyerius.

Cum opio præscripsit Nicolaus hanc Antidotum, eius addens ʒ.j ß. quæ paruà est quãtitas respectu illius quam habemus à Philone, & tamen valdè refrigerat, vt docent medicamenta ipsam componentia, quæ vniuersa

uersa, si pauca eximas sunt frigida. Huic autem ab effectu sperato nomen est inditum ab Authore Requies, quòd tranquilliora reddat omnia, si adsit febrium æstus cum vigiliis, delirio, siti, & aliis quæ hæc mala solent comitari. Cæterum alias confectiones opiatas vocatas neglexit Fernelius, quoniam si ad dolores compescendos requirantur quos summus excitat æstus, Philonium & Requies nominata sufficient, sin ad partes roborandas, reperientur multæ inter Antidotos solidas, quarum forma pro arbitrio Medici & ægrotantis moribus præscribi poterit: Si ad venena domanda, satis erunt Theriaca vtraque, & Mithridatium, quæ proponit noster Author. Valeant ergo Nicolaus, & Mesues cum innumeris compositionibus, quæ nihil aliud promittunt quàm quod superius dictum est, & sunt nominibus barbarie & ignorantia plenis insignitæ, vt Diaolibanu, cùm sit dicendũ λιβανιον id est è thure, sine articulo, qui græcis est ὁ λίβανος. Quid sibi velit Musa Enea vel Zarnea vel Egera, Arabe quodã diuinatore opus est pro interpretanda inscriptione, quemadmodum habet opiata authorem Arabem, Mesuem videlicet. Trypheras quatuor proponit Cordus, magnam ex Nicolao, minorem ex Fenone; sarracenicam & persicam ex Mesue, quibus omnibus nihil minus conuenire arbitror quàm nomen quod præ se ferunt, siquidem τρύφερον græcis, delicatum signant: ipsæ

verò opiatæ sunt admodum ingratę sumentibus, Anacardinam ab Anacardiis, quæ sunt fructus cuiusdum arboris, auicularum corculis nõ dissimiles tùm colore, tùm forma, quos ignorarunt veteres græci : Vocatur autem Lusitanis hic fructus faua de malacca, quòd viridis & in arbore pendens, sit similis fabæ maiori, maior tamen, & in multis Indiæ prouinciis frequens est. Serapionem, cuius authoritate nititur Matthiolus in Dioscoridem, reprehendit Garcias, quòd Anacardia tanquã galeno cognita annotauerit. 3 5 6. cap. lib. simpl. & quòd eadem dixerit esse deleteria: quod de iuuenibus idem explicat Matthiol. cap. de nuce iuglande lib. j. & cap. 5. lib. 6. ipsa scribit fauces, guttur & ventriculum adurere: atque nocumento quod inferunt, præscribit eodem loco remedia: quod de Anacardiis exsiccatis est intelligendum, qualia ad nos aduehuntur vt plurimum: & quibus vtuntur Indi in strumis tanquam causticò aut adurente medicamento : Cùm enim sunt recentia lactis sero macerantur & dantur Asthmaticis, & aduersus Lumbricos: præterea vtuntur Anacardiis sale conditis oliuarum conditarum modo: nõ ergò venenosa sunt natura sed qualitatum excessu. Dubitat tamen idem Garcias de iis quæ in Sicilia oriuntur. Auream Alexandrinã multis simplicibus compactam nobis proponit Nicolaus, quæ non ab Auro, cuius accipit tantum ℈. j. & gr. xiij. sed quoniam non minus

nus quàm aurum sit æstimanda, nomen accepisse videtur. Quàm autem sit hòc à veritate alienum, res ipsa loquitur. Huius author est Nicolaus Myreps. Alexand. His igitur & aliis permultis similibus confectionibus opiatis nihil opus habent officinæ, quod cum probè nosset noster Author, eas è suo Antidotario expunxit, volens labori & sumptui Pharmacopœorum parcere,

Theriace diatessaron.

Ad Epilepsiam, conuulsionem, paralysin, ventriculi cruditatem, cachexiam & hydropem, aliosq ue frigidos affectus: præterea aduersus hausturn venenum, & virulentarum bestiarum morsum & pestilentem constitutionem apprimè vtilis.

℞. Rad. gentianæ.
Baccarum lauri.
Myrrhæ.
Aristol. rot undæ an. ℥. j.

Laborioſe trita omnia excipiantur ℔. ij. melis optimi exspumati.

Saguyerius.

Ad Mesuem refertur, qui ad imitationem Antidoti eiusdem nominis ab Andromacho propositæ, nominauit Theriacam, quòd aduersus virulentarum bestiarum, quę πολύθηρια dicuntur græcis, morsus valeat, vt & illa: quẽ verò ex quatuor simplicibus tantum, melle,

quod multis est commune, excepto coalescit: τὰ πάντα autem quatuor designant, hic iucundam historiam placet referre de quodam ignaro Medicastro qui à me requirebat, quænam herba esset tesaron, & mirabatur quod nõ inueniebatur in descriptione huius Theraciæ, quemadmodum reperiebatur alia quæ appellationem dabant compositionibus, vt Diaphœnicõn, Diarrhodon, & multa similia. Ab hac ignorantia crassiore non longè abest id quod recitat Matthiol. ex Galeno de Medico quodam Romano qui cum parare vellet Theriacam, petebat hedychroum ab vnguentariis, existimans illud esse simplex aliquod medicamentum. Non parùm igitur prodest his qui linguarum sunt ignari. vocum græcarum exploratio. Paratu facilis est hæc antidotus, nec succedaneis indiget ad sui compositionem sicuti illa quæ Andromachum habet authorem: & multùm potest aduersus venena, Epilepsiam, Conuulsionem, paralysin, & alios affectus ab authore præscriptos.

Theriaca Andromachi senioris.

Virulentarum bestiarum ictibus exitialibus venenis aduersatur, comitiales attonitos, resolutos, Cephalalgiros, Asthmaticos, hæmaptoicos, stomachicos, ictericos, hydropicos, nephriticos, colicos, Arthriticos, melancholicos, Lymphaticos, atque etiam elephantiacos iuuet: menstrua & mortuum fœtum excludit,

excludit. Cor, cerebrum, hepar, stomachum & corpus vniuersum mirè corroborat, idque pestilenti contagione tuetur.

℞. trochisc. scillit. ʒ.vj.
Trochisc. theriacorum.
Magmatis hedychroi.
Piperis longi.
Opii an. ʒ ij.
Rosarum rub.
Iridis illyricæ aut florent.
Glycyrrhizæ.
Seminis napi syluestris.
Scordii.
Opobalsami.
Cinamomi.
Agarici an. ʒ.j ß.
Myrrhæ.
Costi.
Croci.
Cassiæ ligneæ.
Nardi indicæ.
Schœnant.
Thuris masculi.
Piperis albi & nigri.
Dictamni.
Marrubii.
Rheibarbari.
Stœchadis.
Seminis petroselini macedonici.
Calamites.
Terebenthinæ.

Zinziberis.
Rad. pentaphylli an ʒ.vj.
Polii montani.
Chamæpityos.
Styracis calamitæ.
Mei.
Amomi.
Nardi celticæ.
Sigilli lemnii.
Rhu pontici.
Chamæd.
Foliorum malabatri aut macis.
Chalcitidis toſtæ (quæ vtiliter prætermitti poteſt)
Rad gentianæ.
Aniſi.
Succi hypociſt.
Carpobalſami.
Gummi arabici.
Seminis fœniculi.
Cardamomi minoris.
Seſeleos.
Acaciæ.
Thlaſpios.
Seminis hyperici.
Ammios an. ʒ ß,
Caſtorii.
Ariſtol. longæ ſeu tenuis.
Seminis dauci.
bituminis Iudaici.
Opopanacis.

Centaurii minoris.
Galbani an. ʒ.ij.
Mellis optimi exſpumati triplum, id eſt lib xiiij. ʒ.iij.
Vini optimi odorati quantum ſatis fuerit diſſoluendis liquoribus & ſuccis.

Summa doſis eſt ℈ iiij. aut ſeſquidrachmę. Nam ℈.j. pulueris aut ℈ iiij cõpoſitionis continent opii granum vnum.

Saguyerius.

Theriaces compoſitionem ab Andromacho ſeniore elegiaco carmine traditam ſequutus idcircò eſt, quòd neque ſimplicium numerus neque pondus carmine facilè mutari poſſit. Hanc nonnulli poſtea alio & fortaſſe cõuenientiore ſimplicium ordine digeſſerunt, quibus etiam abrotanum & acorum adiecerunt, mutatis quoque quorumdam ſimplicium ponderibus, vt idcirco minus certa haberi debeat, ſitque huic vni inſcriptioni citra controuerſiam inſiſtendũ. Quod de Chalcitide, id eſt vitriolo vſto huic compoſitioni non admiſcendo Valerii Cordi imitatione monet, id quidem inprimis conſentaneum videtur. Cùm enim medicamentum id præſertim vſtum ſummè cauſticum ſit, eſcharoticum & internis viſceribus infenſiſſimum, nihilque ad interiorem vllum affectum conferre proditum ſit, non eſt cur tanto incommodo

& saporis in suauitate in hanc compositionē admitti debeat. Si vt quibusdam videtur compositionem totam nigriorem reddit, non debet in vnam coloris gratiam sapore & viribus tantoperè corpori incommodare. Eo subtracto compositio tota vtilior, minus acris & calida, & suauior euadet.

Saguyerius.

Huius Antidoti author est Andromachus senior, qui filium habuit eiusdem nominis, qui theriacam suam ex patre trāscripsit vnde fit manifestū frustra laborasse vetera dispensatoria quæ proponunt ab vtroque descriptā, cum iisdem simplicibus ambæ, & facultatibus iisdem polleant. Qui volet exactissimam parandæ theriacæ rationem nosse, legat epistolam Matthioli lib 5. ad myropolam Bononiensem in talia. Ibi inueniet quod respondeat iis qui huius Antidoti negligunt apparatū, quoniam nō sint ad manum omnia quæ præscripsit Andromachus Habet enim hæc Antidotus pro præcipuis fundamentis pastillos scillinos, viperinos, opium & piper longum quod nunc frequens est Venetiis. Quid sit opium supra diximus in Philonio Plantæ quę ferunt albū piper sunt rariores quā quæ nigrū: & illo vtuntur magnates Indi, sicut nos sale. Longum differt ab vtroque non minus quàm faba ab ouo. Quantum ad magma hedychroum, quod dicemus cum Celso recrementum ab hila-

ab hilaritate coloris vocatum, est vnguenti genus apud Dioscoridem lib. primo: & apud Galenū designat trochiscos, quorum descriptionem postea dicemus ex eodem Galeno neglectis aliorum variis descriptionibus. Pro glycyrrhiza quam cyaneam id est Cæruleam vocat, ex Andromacho Cordas, succum glycyrrhizę accipiemus: noster tamen Fernelius ipsammet glycyrrhizam prescribit, quę radicem dulcem designat, si verbum verbo explicemus. Semen napi quem βουνιάδα dicunt græci sine addito præscribit Iunior Andromachus & Democrates. Galenus autem ab agresti semen requirit, cui repugnat Matthiol. quòd dulcem speciatim præscripserit author Antidoti, & talis sit satiuus, cuius semen venenorum vires hebetare annotauit Dioscorid. non verò siluestris, cuius meminit lib 4. cap. 119. Succo balsami qui græcis est ὀποβάλσαμον nos destitui omnes vno ore fatentur Medici, & eius loco oleum è Caryophyllis extractū supponunt nonnulli, alii nucum moschatarum liquorem oleosum, alii oleum è styrace Scimus autem nunc adferri ex nouo orbe balsami succum per incisionem extractum ex arboribus quæ similes sunt iis quas fert noua Hispania, vbi balsamum decoctione colligitur: Arbori autem duplex est cortex, & ex spacio quod est inter vtrumque educitur incisione Lacryma alba & limpidissima, odoratissima atque efficacissima, siquidem eius guttula plus potest

quàm libra vna illius quod extrahitur decoctione: quæ res ignota fuit Matthiolo cùm reiiciat Indicum balsamum tanquam adulterinum quòd lacteo colore nõ sit, vt esse debet legitimum authore Strabone: & hinc colligit tale balsamũ p decoctionẽ collectũ esse myrrhæ stactẽ ceu myrrhã stillataticiã: hoc apud me ex dono Illustriss. Dominę Ioannæ ab alto mari primogenitę D. de Fernaques & viduę D. de la Fertè: Et est odoratum more moschi viscosum & ex nigro rubescens, cuius miram vim sum expertus & in meipso & in aliis dùm opus est vnitione quando vulnus aliquod recens est. Dent igitur operam nostri Pharmacopœi vt hãc lacrymam albã balsami habeãt, aut saltem balsamum per decoctionem. Dubium enim non est quin magis conueniat & facultatibus cognitis & latentibus hic liquor cum eo quem tanti fecit Galenus, quàm alia succedanea: quæ conuenientia non parui fit ab eruditiss. Medicis. De Rhapontico paucis agendum, vt intelligamus plãtam esse diuersam à Rhabarbaro, & ideo malè Cordus interpretatur Rhaponticum in priore descriptione. Rhabarb. quidem commodissimè vsurpatur pro illo, sed tamen non est res eadem: Odoratum est & venenis resistens cum leui quadam adstrictione, & proindè longè melius supponetur pro rhapontico, quam ipsa centaurii maioris radix. Scribit autem Garcias se didicisse in India omne Rhab quod in Indiam

am, Persiam & Europam importatur esse in Chinarum regione natum, & idcircò vocant Persę Rauam Chini, & Mauritani plærique Rauam simpliciter: hoc si verum est, dicemus hãc radicem vocari barbaram, quoniam apud Indos prouenit qui nobis rectè vocabũtur barbari. Si verò Matthiolo sit credendum à Troglodytis Æthiopiæ populis nomen sumpsisse dicetur. Sed de hac re idem author consulendus, nec multùm id curare debet Pharmacopœus modò legitimum & bonum habeat rhabarb. quod si nouisset Andromachus, suæ Antidoto Theriacæ potiùs quàm rhapontico miscuisset, quoniam illi facultas inest aduersus vermes, pestilentem auram & venena cum odoris fragrantia. Loco petroselini è Macedonia quod nobis deest, sumetur smyrnii ceu Olusatri semen, quod serpentium morsibus auxiliatur: pro Amomo, Caryophilli: pro costo duplum radicis angelicæ quæ nobis est familiaris & venenis aduersatur, nec non pestilentiæ. Pro meo sumetur imperatoria herba, quæ celebratur ad viperarum & aliorum animalium morsus venenatos, vel ipsamet Angelica quam malè confundit Fuchsius cum imperatoria, licet facultatum magnus sit consensus. Bolus Armenus legitimus officinarum est terra lemnia: ipsum vocant vulgò leuanticum ceu orientalem. Vocatur autem lemnia à Lemno Insula maris Ægei vbi effoditur, & principi Turcorum ferè tota conse-

cratur, cuius sigillum imprimitur, vt olim imago capræ aut Dianæ. Sciat etiam Pharmacopœus terræ quoddam genus nunc adferri à Melita insula, quod petram sancti Pauli vocant vulgò, & vicem terræ sigillatæ explere ait Matthiolus : sed colore ab ea multùm differt, siquidem alba est, mollis, suecosa, fricabilis & linguæ adhærescens. Vidi apud Ioannem Bonierum Pharmacopœum Noieri in Burgundia habitantem frustum satis magnum huius terræ, & de eadem mihi monstrauit Chirurgus Ioannes Carbillet pastillum quem in vrbe Sandionisio Lutetiæ vicina inuenerat, dùm rex Henricus quartus eam expugnauit anno 1590. Credit Mathiol. hanc esse samiam Dioscoridis, aut samiæ proximam, atque aduersus venena & serpentium ictus maximè commendatur. Hic non est inuoluenda silentio Paracelsi matheologia. 1. lib. 3. tract. & cap. 3. suæ Chirurgiæ quam magnam vocat, vbi vult lemnium sigillum esse album contra Gal. & experientiam, quæ docet esse coloris hepatis aut sinopicis rubricæ, quæ etiam sic est colorata, vulgatissimum bolum referens qui in quadratas massas compactus, & vulnerariis medicis vsitatus. Veniamus ad Chalcitim quam Fernelius & Plantius post Cordum omitti posse vtiliter credunt, Matthiolus verò addendam putat ne authoris Theriacæ sententia corrumpatur. Ego verò reiiciendam omninò assero, si

sero, si nihil præter colorem confert, cum hoc accidens nec minuere nec augere huius medicamenti vires possit : Ipsa autem Chalcitis præsertim vsta, caustica est & visceribus internis aduersa : Imò & Gal. scribit hæc tria soryn, mysin & Chalcitin crustas efficere, vt antè ipsum dixerat Dioscorides. Et vterq; hoc medicamento non est vsus nisi in externis malis : Relinquetur igitur commodissimè vt suauior & minus acris reddatur Theriaca. post Chalcitin ponit Cordus Amomum & racemum pro Epitheto adiungit, & alibi habet Amomi racemosi, quasi Andromachus de Amomo racemoso sit loquutus, ait Fuchsius. Garcias autem Lusitanus scribit Amomum Hamama Arabibus vocatum, quod pedem columbinum significat, vt audiuit ex Pharmacopœo Hispano qui religionem Iudæam profitebatur. Hic autè pro pede columbino non est accipienda species geranii quæ eodē nomine donatur, nec pyrethrum quod etiam pedem Columbinū vocat Hollerius Perioche quinta de Dentibus, sed Amomum ab Arabico Hamama dictum, quod semen edit vuarum racemis simile, si credimus Dioscoridi. Et Mathiolus qui de hac re amplissimè disserit ex antiquorum doctrina, vult Amomum racemosum vsui pari, quod tamen nec vidit legitimum, nec alium nouit medicū qui viderit. Carolus Clusius ait se ab aliquot annis vidisse Lugduni apud Valerandum Dorcum

Pharmacopœum exigui fruticis fragmenta. Amomi nomine, & alia Amomidis ex Arabia aduecti, quæ Amomum dona tum Garciæ Lusitano ab Indis Medicis referebant & cuius ramuli simul compacti non malè pedem referebant earum columbarum quæ pedes habent hirsutos aut plumatos. Cœterùm magna est concertatio inter Fuchsium germanum & Matthiolum, quòd hic requirat racemosum amomum, ille verò non racemosum sed racemum aut vuam distinctè ab amomo legat, & accipiendam eam plantam scribit quæ ὄσπιος dicitur suauem spirans odorem. Pro Phu Pontico sumenda Valeriana maior Italica. Loco Carpobalsami, Cubebæ officinarum substituentur. Testatur autem Monardis se habere Carpobalsamum ex India, idque exiguum pro arboris magnitudine, non est enim maius cicere aut pisi grano, estque inclusum extrema siligna angusta digitum longa, alba & tenui; cuius si copia nobis adesset pro fructu balsami Iudaici posset vsurpari, quemadmodum & lacryma eiusdem arboris pro Opobalsamo. Pro gummi Arabico accipiatur quod est ex pruno sylvestri, vel cotonea malo, vel Ceraso austera. Fernelius Cardamomum minus habet in suo dispensario Matthiol. autem maius vult sumi, quoniam odore & acredine præstet, sed etiam aliquid amaroris respicit: Fernelio subscribit Garcias asserens id quod minus vocatur esse odoratius

us maiori, ita vt secundum facultatem dici possit maius. Sylvestris pastinacæ semen pro dauco cretico potest vsurpari. Pro bitumine Iudaico quod deest, sumetur pix liquida ex Galeno & Paulo. Huius bituminis meminit Cordus sub dictione græca quæ ἄσφαλτος, & sagapenum non adiecit Fernelius. Mathiolus etiam suum instruens myropolam ait quidē bitumen illud legitimum non adferri, nihil tamen pro eo substituit: forsitan quod de ea re in Dioscoridem iam verba fecisset, oppugnans interim Musam Brassauolum, qui abominandam officinarum & Arabum Mumiam huius bituminis facit succedaneum. Meminerit autem Pharmacopœus, oportet Dioscoridis testimonio picem liquidam valere contra venena, si modo sit sincera, splendens & leuis: habet etiam quandam partium tenuitatem vt scribit Gal. 8. simpl. Galbanum aduersatur toxicis: sagapenum verò serpentium ictibus: Oppopanax seu panacis succus idem potest teste Dioscoride. Dignum est scitu quod scribit Monardis Medicus de quodam gummi genere quod Indi vocant Tacamahaca, & nonnulli putant rem eandem esse atque galbanū, cui colore est simile, & cuius plurimus vsus est apud Indos variis in morbis frigidis & flatulentis: adfertur ex noua hispania, vt & illa resina Carana dicta quæ est efficacior quam Tacamahaca & in iisdem malis

Mel optimum quod Zabarzet Arb. ex quouis loco ſumi poteſt, modo bonitatis notas habeat, quæ ſunt mediocritas ſubſtantiæ, ſapor dulciſſimus & acerrimus, punctio linguę, color palliuus aut ſubrutilus, qui & luceat cum odore gratiſſimo, ponderis grauitas tenacitas ſubſtantiæ quæ non ſinat ipſum abrumpi dum ſubleuarur, & inter coquendum ſpumæ paucitas, recentiſſimũ requirit Plantius: ipſe autem Mathiol. binum poſtulat, idque longè præſtantius eſſe ait vetuſtiore aut recẽtiore. Tale videlicet optimũ ex Luſitania Antuerpiam deportatur, ℘ bonitate nõ cedit Attico aut ſiculo: cui proximè accedit Narbonenſe, & quod in noſtris regionibus ſponte primùm defluit è fauis & virgineum vulgò nuncupatur. Aduerſus fungorum venena & rabioſi canis morſum linctũ aut potum proficit & iuuat à ſerpente percuſſos ex doctrina Dioſcoridis. Vini optimi notæ ſunt, vt ſit tenue, clarum, colore aureo, odoratũ ac guſtui gratiſſimum & polyphorum quale eſt in hac prouincia Burgundiæ vinum Belnenſe. Si tamen Creticum aut è Candia Vinũ non adulteratum adſit, reliquis anteponatur vt, quod reparandis viribus ſit aptiſſimum.

Mithridatium

Theriacæ vires proximè æmulatur, & ad eoſdem vſurpatur affectus, vſu quidem facilliore & minore acrimonia caloris. Ex Andromachi deſcriptione quæ Galeno aliiſque vetuſtioribus

tuſtioribus medicis probatur.

℞. Myrrhæ
Nardi indicæ an. ʒ j. ℈. ß.
Croci.
Cinamomi.
Scordii.
Zinzib. an. ʒ. vij. ß.
Opii ʒ iiij. gr xxv.
Styracis,
Seſeleos.
Abrotoni.
Libanotidis an. ʒ. v.
Caſtorii ʒ. vj. ℈. ß.
Polii.
Coſti.
piperis longi.
Seminis dauci.
Schœnanthi.
Galbani.
Terebenth. an. ʒ. vj. ß.
piperis albi ʒ. v. ℈. j.
petroſelini ſeminis.
Nardi celticæ.
Seminis fœniculi.
Folii Indi aut maceris.
Gentianæ.
Roſarum ſiccarum.
Mei athamantici an. ʒ. ß.
Caſſiæ ligneæ ʒ. v. ß.
Thuris ʒ. vj. ℈ j.
Succi hypociſt. ʒ, vj gr. xv.

Acori aut calami aromat.
phu pontici.
Sagapeni
Fructus balsami.
Hyperici.
Iridis.
Acaciæ.
Gummi.
Cardamomi.
Nigellæ an. ʒ.ij.
Terræ lemniæ.
Lumborum scinci.
Cypheos.
Opopanacis an. ʒ.vj Thlasp. ʒ.vj. ℈.ij.
Anisi.
Hyssopi.
Chamæpit, an. ʒ.iij.
Opobalsami.
aristol, rotundæ
Marubii an. ʒ.j.
Mellis optimi exspumati ℔.vij. ß.

Plantius.

Mithridatii Antidoti compositiones quatuor extant variæ quidem & admodum dissimiles : Vna omniumque maxima Nicolai est Myrepsi à Nicol. prępósito descripta, & ab omnibus vbique Pharmacopœis vsurpata, quã omnes quotidiè experiuntur magna vj pollere aduersus febres malignas & pestilentes, Venenum, vomitiones, cruditates, lienterias aliosque plurimos affectus. Ea quæcunque pri-

primum auctorem aut inuentorem habuerit, longè latéque inuulgata tandem est. Altera est Democratis vetusti græci authoris ab Auicenna quoque vsurpata & in Nicolai Prępositi medicamentarium librum relata : quæ vt compositione ita & vsu superiore facilior, nec viribus inferior est deprehensa, sed sanè ad malignos & contagiosos affectus multò præstantior. Tertia ab Andromacho descripta, deinde & quarta quam Galenus, Aetius, aliique græci ex Antipatro & Cleopatro vetustioribus Medicis deprompserunt. Posteriores hæ duæ non admodum dissimiles videntur. nam ex iisdem ferè simplicibus ordine licet transpositis hæ constant, quorum pondera paucis quibusdam obolis euariant : vt idcircò hæ videantur in eosdem vsus coaptandæ. At nihilominus quoniam postrema hæc locupletior est, ex duobus & quinquaginta simplicibus composita, & Galeni diligentiâ iudicioque reformata atque comprobata, tãquam omnium præstantissima & ad eos qui dicti sunt affectus efficacissima censeri debet. Hanc igitur vnam à Medicis omnibus vsurpandam author in Antidotos retulit, transposito tamen simplicium ordine, & omnib. quorum idem pondus erat in eandem classem reductis, vt hinc minor esset Pharmacopœo componendi atque conficiendi labor.

Saguyerius.

Huius Antidoti inuentor non fuit ille for-

tiſſ. rex Ponti Mithridates, ſed Medici Antipater ac Cleophantus: verumtamen cùm ille medicamenta multa aduerſus venena adinueniſſet, factum eſt vt iis quibus eſſet ſimilis facultas, nomen Mithridatii imponeretur. Hanc Antidotum Gal. Ætius & alii græci recentiores ex ſupradictis Medicis vetuſtiorib. deprompſerunt, quæ non multum differt ab ea quam deſcripſit Andromachus, & cui Matthiolus anteponit eam, cuius author fertur Damocrates vt legere eſt in epiſtola ad Pharmacopœum Tridentinum ſub finem lib. 5. Noſter autem Fernelius Antipat. & Cleophãtum ſequutus hanc deſcripſit quam propoſuimus, omnes tamen parùm diſtant viribus, ſed Gal. authoritas hoc meruit, vt quam approbauit, ſequendam iudicent qui ipſum in arte medica ſibi imitandum propoſuerunt: Eius autem medicamenta ſunt expoſita magna ex parte in Theriacæ explicatione & aliis quæ præceſſerunt confectionibus ceu electuariis: Itaque pauca annotabo, & primùm quod Libanotidem interpretatur Angelicam ſylueſtrem Cordus, nec roſmarinum vult in hanc compoſitionem venire, quod eſſe abſurdum antè me obſeruauit Matthiol. in Dioſcoridem, & ſciunt omnes linguæ græcæ periti, roſmarinum ſuo Idiomate dici λιβανωτίδα. Rurſum non placet quòd dicat hic Nardum Indicam non deſignare ſpicam nardi ex India, ſed malabathrum id eſt, foliumIndũ, quod eſt

eſt ſpecies nardi: Hanc verò Cordi aſſertionem eſſe à veritate alieniſſimam norunt qui res diuerſiſſimas ſciunt eſſe folium & nardũ: atque noſter Fernelius vtriuſque ſeparatim meminit: Cuius interim opinionem de pelecino, quod videlicet ſit nigella, probare non poſſum cum Matthiolo; hæc quæ in officinis ſic vocatur, eſt græcis melanthium. Interim tamen ſcio ex Dioſcoride, hoc poſtremum ventris tineas pellere, & phalangiorum, quæ ſunt animalia venenoſa, morſibus mederi, vndè fit vt commodè huic Antidoto miſceri poſſit, ſi ad manum nõ ſit ſecuridaca quæ græcis σελίνουος, quoniam ſemen ferat paruæ ſecuris forma quæ græcè σελινὺς vocatur: & ſemen nigellæ ſylueſtris ſumendum illius loco ſcribit Cordus. Loquitur ergo, vt alias ſæpè, noſter Fernelius cum vulgo officinarum.

Mithridatium & Theriaca ad eoſdem affectus vſurpantur & vires quaſi habent ſimiles: Nam hæc acrior eſt illo & difficilior ad ſumendum minuſque grata ori. Creditur tamen Theriaca ictibus & veneno θηριῶδ ceu ferarum à quibus nominatur ſingulare magis eſſe remedium. Epilepſiæ, Apoplexiæ, Paralyſi, Cephalalgiæ ceu inueterato capitis dolori, Aſthmati, hæmaptyſi ceu ſpuitioni cruentæ, ſtomachicis, Ictericis, hydropicis, nephriticis, colicis, arthriticis, Melancholicis, Lymphaticis ſiue furioſis, atque etiam Elephantiacis auxilio eſt. Menſtrua & mortuum

fœtum excludit: Cor, cerebrũ, hepar, ſtomachum & corpus vniuerſum mirè roborat, idque à peſtilenti contagione tuetur.

DE TROCHISCIS SEV PASTILLIS

Trochiſci è vipera.

VIperarum electarum atque præparatarum caro ex aqua pura cum anetho viridi & ſale coquitur dum oſſa deſerat: exempta teritur pila marmorea, ſenſimque aſpergitur pari pondere medullæ panis triticei arefacti affuſo interim proprio viperarũ iuſculo ſi opus ſit, & opobalſami vel ſuccedanei momento, trochiſci concinnantur drachmæ pondere, diligenterque ſiccantur in vmbra.

Saguyerius.

Viperini trochiſci vulgò petuntur ex Italia, & parantur è viperis fœminis quibus plures ſunt dentes, vt norunt qui ipſas vænantur ad horum paſtillorum compoſitionem Vere finiente, caput & caudam abiicientes: in magnis quidem ad quatuor digitorum menſuram ex vtraque parte: vt caro earum coquatur aqua puriſſima adiecto anetho viridi & ſale, deinde teratur exempta pila marmorea, aſpergendo medullæ panis triticei torrefacti pari pondere, affuſo interim proprio viperarum iuſculo, ſi opus ſit, aut opobalſami aut ſuccedanei momento, vt voluit Fernelius & Fuchſius, quos reprehendit Matthiolus duas ob cauſas, quarum prior eſt quod Andromachus & Gal. id non iuſſerint, Altera quòd ſucco balſami à multis annis deſtituamur: ego tamen credo non malè addi aromaticum aliquid: ſi enim ſali viperino, cuius apparatum docet Dioſcorides, admiſcetur ſpica, aut nardi folium aut malabathri momentum, quare nõ poterit commodè etiam addi viperinis carnibus ad trochiſcos conficiendos? Mauult etiam idem Matthiol. panem ſiccum quàm madidum iure viperarum decoctarum, admiſcere quoniam paſtilli citius ſiccentur.

Trochiſci ſcyllitici in eandem theriaces compoſitionem referendi.

℞. medullæ ſcyllæ aſſatæ lib j.
Farinæ erui ʒ. viij.
Simul exquiſitè tuſa digeruntur in trochiſcos, & in vmbra exſiccantur.

Trochiſci hedychrei quorum idem quoque eſt vſus ad theriaces compoſitionem.

℞. mari aut balſamitæ.
Amaraci.
Aſari.
Aſpalathi aut eius ſuccedanei an. ʒ. ij.
Schœnanthi.

Calam. odorati aut galangæ.
Phu pontici.
Xylobalsami.
Opobalsami aut succedaneorum.
Cinamomi.
Costi an ʒ iij.
Myrrhæ.
Folii.
Nardi Indicæ.
Croci.
Cassiæ an ʒ.vj.
Amomi ʒ.xij.
Mastiches. ʒ.j.
Vini optimi quantum satis est ad trochiscos fingendos.

Saguyerius.

Hos etiam trochiscos examinauit eruditiss. Matthiol. quoniam ingrediuntur Theriacam: & proinde ipsius vestigiis inhærentes pauca ex eius mente disseremus. Pro maro quod se accepisse verum ab amico testatur Matthiol. & de quo legitimo dubitant Medici, sumenda maiorana domestica & tenui folia vt quæ sit altera odoratior: vel sysimbriũ quod balsamita vulgò, quoniam scribit Dioscorid. marum esse viribus sysimbrii, & Fernelius præter marum addit amaracum ceu maioranam. Asarum est odoratum. Pro Aspalatho, agallochum, vel semen viticis, quod etiam est alexipharmacum, vt aspalathus, sumi

potest: Viticem autem ineptissimè vocant officinæ agnum castum, cum græcis ἄγνος castum significet, alio nomine dicitur λύγος & salix amerina. Sic doctor quidam Monspelienses, dum Clysterem præscriberet, Althæam & bismaluam distinctè quasi res diuersas nominabat: huic nomen erat Boncandi. Pro calamo aromatico Acorus aut Angelica. Credo ego cum Matthiolo officinarum lignum balsami adulterinum esse, atque ex myrto decerptum. Haberi potest xylobals. ex nouo orbe, vnde & Opobalsamum, de quo supra egimus: & sic non esset opus succedaneis.

Trochisci Cypheos ad mithridatiũ compositionem expediti.

℞. pulpæ vuarum passarum.
Terebinthinæ coctæ. an. ʒ.iij.
Myrrhæ.
Schœnanthi an. ʒ.j. ß.
Calami aromatici ʒ. ix.
Cinamomi ʒ.ß.
Bdellii.
Onychis, id est, blattæ bizantiæ.
Spicæ nardi.
Cassiæ ligneæ.
Cyperi.
Baecarum iuniperi an. ʒ. iij.
Aspalathi ʒ.ij. ß.
Croci ʒ.j.
Mellis exspumati.

Vini optimi an.

Quantum satis fuerit ad trochiscos concinnandos.

Plantius in Trochiscos.

Trochiscorum qui ad magnas compositiones veterum omnium sententia celebrati sunt, nulla facta est mutatio, ne quid etiam in maioribus compositionibus vsu confirmatis immutaretur.

Saguyerius.

Hæc compositio est odoramenti genus familiare aliquando Ægyptiis sacerdotibus, dũ sacra sua peragebant, quod postea Medici in suas Antidotos euocarunt, & eo sunt vsi aduersus pestilentem æris contagionem. Sed multa continet hæc descriptio quibus planè destituimur, vt myrrha legitima, flores iuncí odorati, bdellium vngui simile, cassia lignea selectissima, calamus aromaticus, atque etiam aspalathus: vnde coniicere licet nos carere hoc genere odoramenti nisi succedaneis sit locus.

Cæterum Cordus & Fernelius post Cornarium & alios non paucos magni nominis Medicos, bdellium separant ab vngue, quem Damocrates suo idiomate græco vocat ὄνυχα, & ipsum interpretatur blattam bizantiam ceu purpuram aut conchulam Indicam, vel conchylii tegumentum simile ei quod habet pur-

purpura, quæ etiam Tyria dici posset, quòd in mari Tyro vrbi vicino ipsa frequens piscatione capiatur, vt indicat hic versus Sidonii Poetæ.

Pontus Castoria, blattam Tyrus, Era Corynthus.

Vulgò dicitur vnguis odoratus & inter cardiaca recensetur à Græcis & Arabibus. Odoris autem suauitatem refert acceptam Dioscorides pabulo purpuræ quod est nardus: debet autem esse candicans & pinguis: quod verò tales non sint blattæ byzantiæ, castorium redolentes dùm vruntur, causam reiicit Mathiolus in maximam locorum à nobis distantiam vtpote quæ priuentur odore nardi in longo itinere, qui odor suauis in partibus tenuibus tantum hærebat, à quib. statim exhalat dùm testa igni imponitur. Aliam rursum causã adfert quòd vngues qui ad nos deferũtur, non capiantur in paludibus nardiferis. Quicquid sit, siue illam, siue hanc rationem admittamus, destituuntur hæ conchulæ odoris gratia, & proinde nihil possunt conferre gratiæ illius quam requirunt authores qui ipsas præscripserunt in hoc odoramenti genere, in Aurea Alexandrina & aliis confectionibus vocatis: vnde factum arbitror vt Mathiolus ipsas omiserit, & bdellii vngues addiderit, seu bdellium probatum quod vngui simile facit Dioscorides: sed cum etiam eo nos carere scribat idem Mathiol. & belzoinum

eius loco accipiendum dicat, non multum mihi prodesse videtur tàm ampla de hac re disputatio.

Trochisei de Capparibus.

Lienis duritiem, terrenam melancholiam flatusque discutiunt.

℞. Cort. rad. capparis.
Seminis agni an. ʒ. vj.
ammoniaci ʒ. ß.
Seminis nigellæ.
Calamitæ.
Succi eupatorii:
amygdal amararum.
Fol rutæ.
aristol. rotundæ.
Seminis nasturtii an. ʒ. ij.
Cyperi.
Scolopendrii, an. ʒ. j.

Pulueres excipiantur ammoniaco in aceto disoluto, finganturque pastilli.

Plantius.

Trochisci è capparibus optimè etiam descripti sunt, quibus si præterea addere placet gummi laccæ seu caucami & rubiæ tinctorum an. ʒ. j. efficaciores reddentur: nec alii trochisci de lacca in hunc vsum admittendi erunt, quod hi è capparibus satis sint ad lienis obstructiones & veteres affectus.

Saguyerius.

Hi pastilli qui à capparibus nomen habẽt, non

non minus accipiunt sem. viticis quàm cortis rad. capparis, ita vt non immeritò à vitice aut agno denominari possint: & præterea vim habent auxiliandi lienosis, & flatus discutiendi quibus multis præmuntur lienosi: consueta tamen & in officinis vsitata retineatur appellatio, id enim parùm facit ad rem. Hic rursum semen agni casti proponit Cordus barbariei vulgari indulgens nimiùm. Non est enim verisimile hunc eruditum Medicum & linguæ græcæ peritum ignorasse ἄγνου græcis, castum latinis designare vt supra diximus: sic autem dictus est hic frutex quoniam impetus in Venerem cohibeat & genituram exsoluit suo calore & siccitate: quod cùm scirent mulieres Athenienses castitatem custodientes, dùm Thesmophoria Cereris sacra celebrabant, folia eius substernebant sibi loco cubilis. λύγον etiam vocant græci quasi vimen quod rami difficilimè flectantur. Cappares, tàm fruticem quàm fructum omnes norunt, atque consulunt lienosis vulgari modo conseruatas ex aceto & oleum addunt: Ego verò saccharum & passulas è Coryntho æquali põdere misceo addita ʒ. ß. canellæ pro lib. j. saccharì liquefacti in aqua cetrac, Cappares verò ad lib. iij. addo. & deinde cum parum aceti rosacei quod robur addit visceri propter rosas & attenuat sua natura. Aliquando puluerem ducis inspergo cum prædictis passulis, capparibus vulgari modo paratis: sic enim

emendatur aceti malitia, quem fermentare humorem melancholicum scribit Hipocr. lib.3.de rat.vict in morb. acutis: & ventriculum lędit, atque ructus acidos mouet: quæ vitia corrigunt puluis & passulæ Corinthiæ, quę cùm sint sine vinaceis iecinorosos & lienosos iuuant, Gal. teste lib.7.& 8.κ τόπους, id est, secundum locos. Non est obtemperandum Cordo qui suo more vult accipi gratiolam pro Eupatorio Mesuæ: qua de re suprà egimus. Ammoniaco quod legitimum est rarissimum, dissoluto in aceto excipiuntur pulueres, vt in pastillos reducantur. Lienem consumit ʒ.j. pondere haustum Dioscoridi: Est autem lachryma aut succus ferulæ aphricæ cuius frutex dicitur Agasyllis. Gigmitur in Africa iuxta Iouis Ammonis templum. Iupiter autem Ammon dictus est ab harenis quibus multis locus abundat vbi templum hoc est ædificatum: harena verò græcis est ἄμμος, Gal ad glauconē meminit Ammoniaci Thymiamatis, id est, suffimenti, per hoc additum intelligens optimum quod nobis deest, vt diximus: illo vtebantur veteres in suis sacrificiis tanquam precioso odoramento, vnde intelligitur quantum distet à vulgari tàm sustantia quàm viribus. Plantius ait hos trochiscos reddi posse efficaciores additis lacca & rubia tinctorum an.ʒ j. cuiusque: & idem Medicus cum vulgò officinarum confundit, græcorum cancamum & laccam, sed falsò, vt supra in dialac-

dialacca vocato diximus: Lacca obstructiones aperit vt & rubia, cuius semen ex aceto potum lienem absumit. Hæc ergo si addantur nihil opus erit trochiscis è lacca.

Trochisci de Eupatorio.

Iecoris præsertim obstructiones tumoremque soluunt, diuturnas hinc natas febres, icterum & incipientem hydropem sanant.

℞.mannæ electæ.
Succi eupatorii an.ʒ.j.
Rosarum ʒ.ß.
Spodii ʒ.iij.ß.
Spicæ nardi Indicæ, ʒ. iij.
Rheibarbari.
Asari.
Anisi an.ʒ.ij.ß.

Excepta omnia succo eupatorii & manna redigantur in trochiscos.

Plantius.

Trochisci ex Eupatorio substituuntur quoque pro trochiscis ex rheobarbaro & pro trochiscis ex absinthio, quod eorum magna sit affinitas, idemque vsus.

Saguyerius.

Licet ad Mesuem referantur hi trochisci, & inde scribat Cordus, eius Eupatorium sumendum, consulerem ego Dioscoridis eupatorium potius sumi, quod hepati est vtilissimũ vt

in pilulis ab eodem authore & simplici nuncupatis supra docui. Cæterùm norunt omnes Apothecarii quid per mannam sit intelligendum, sed pauci sunt qui nominis rationem intelligant, quæ est petenda ab hebræis ita nominantibus mel roseum matutinum, quale datum fuit populo hebræo, vt legitur cap. 16. Exodi. Vbi agitur de re quadam rotunda, & subtili pruinæ more quæ super terram inuenta est, & quam pro pane sumebant atque comedebant Hebræi, quaque inuenta exclamarunt manhu, id est, quale donum, aut man, id est, donum Dei simpliciter pronunciarunt, & nos pro Manhu Hebraico diximus manna. De qua multi multa scripserunt, vt docet Matthiol. in caput Dioscoridis de melle: asserens mannam quidem nouisse Galenum, sed vim purgandi in ea ignorasse. Dignum est obseruatione quòd disputat eruditissimè Garcias ab horto de generibus diuersis mannæ apud Indos repertis, quæ ponit quatuor: Primum liquidum est quod vtribus asseruatur saporis flaui mellis, à Persis vocatum Lac ex arbore, quoniam distillet gummi modo, prius lapsum ex æreoris more in eam arborem: Alterum est solidum, granis Coriandri simile, quod e gummi aut resina ex tribulis excussa: Vulgo Tereniabin dicitur in officinis & ipsi Garcias Tiriamiabin aut Trũgibin vt vertit Bellunẽsis. Tertiũ genꝰ magnis glebis aduehitur admixtis plerũque foliis: Estq; hæc mãna persimi-

Calabrinæ, & magno in precio. Quartum melli depurato persimile, quod facilè corrumpitur, quoniam lagenis vitreis non asseruatur, sed vtribus. Matthiolus se vidisse duo genera in Italia scribit, vnum Orientale, alterum Calabrinum. Et partitur rursum illud in mastichinum quod est præstantissimum, & grana mastiches referens, Alterum bombycinum, quoniam bombycem vermiculum eruca paruę similem referat, & vile est hoc genus quòd pura manna non sit, sed adulterata saccharo, vel re alia dulci, aut quod sit ex genere mastichino, sed euanido & vetustate exhausto. Calabrinam rursum facit duplicem foliorum videlicet & ramorum: illa mastichinam refert & plurimi penditur. Hæc verò quæ ramis insidet secundas partes sibi asciscit. Colligitur etiam manna ex lapidibus & solo, quæ crassior est & terrena, atque impuro colore. Huic tribuunt Medici experimento edocti vim cholagogam, etenim bilem citrinã blandè expurgat: rectè itaque hic miscetur succo agrimoniæ ad iecoris tollendas obstructiones, vnde icterus & hydrops. Cæterùm sciat Pharmacopœus rem esse diuersissimã à manna prædicta, eam quæ à thure excutitur, & idcircò vocat Dioscor. mannam thuris, quoniam hæ micæ similitudinem habent cum granis illius. Sciat rursum eadẽ ratione semen quoddam seri in Bohemia & aliis locis vicinis ad ciborum vsum, eo cocto in iure pingui car-

nium, quod etiam vocatur manna. Tandem admonitum velim Pharmacopœum quòd hi trochisci substitui possint pro iis qui à rhab. nominantur,& iis quibus absinthium nomen dedit, quos idcirco non parabit, quoniam similes habent vires vt patet ex Dispensariis. Cum aqua cuscutæ, quæ Cassutha græcis dicitur recentioribus, parandos hos pastillos iubet Mesues, qua in re discrimen est exiguũ, cùm eupatorium & cuscuta in hoc conueniant quòd obstructo iecori sint auxilio, atque diuturnis febribus propulsandis.

Trochisci Alkekengi seu halicacabi.

Renum ac vesicæ exulcerationes,hincque natam vrinæ difficultatem & sanguinis emictionem compescunt.

℞. baccarum halicacabi ʒ iij.
Sem.citrulli.
Melonum &
Cucurbitæ mundorum an.ʒ.iij.ß.
Boli armenæ.
Gummi arabici.
Thuris.
Sanguinis draconis.
Papaueris albi.
Amygdal.amararum.
Succi glycyrrhizæ.
Tragacanthæ.
Amyli.
Strobylorum an.ʒ.vj.

Semi-

Seminis apii.
Succini.
Terræ lemniæ.
Seminis hyosciami.
Opii an.ʒ.ij.
Ex succo halicacabi trochisci fiant.

Alii quoque his persimiles sine opio componuntur.

Saguyerius.

Mesues suo idiomate Mauritanico halicacabum seu Physalida græcorum vocat Alkekengi,vnde nomen his trochiscis,& melonem vocat Albatecam ceu bategan aut bathiech, græcis verò πέπων nuncupatur. Batiech etiam Indis familiare nomen est,qui norunt totam huius carnem resolui in liquorem : Est verò melonis genus prægrande quidem & rotundum, longius tamen & figura quodammodo ouali,cuius vires sunt humectantes & infrigidantes mirum in modũ. Sanguis draconis officinarum est factitius ex hircino sanguine, bolo armena & sorborum aliorumue astringentium succo,si credimus Fernelio lib. 6.therap.meth.cap.3. cuius etsi vires sint emplasticæ atque similes bolo vt idem ait, non tamen idcircò credẽdum erit esse verum sanguinem draconis Arboris quæ crescit in nouo orbe,& nomen accepit à fructu quem profert, cuius pelle detracta ilicò apparet draculus,tanto artificio à natura elaboratus vt à pe-

rito quodam artifice videatur sculptus è marmore, collo oblongo, ore hiante, spina aculeis horrida, cauda oblonga & pedibus conspicuis, vt refert Nicol. Monard. Hispalensis Medicus. Lacryma etiam quæ fluit ab hac arbore, à fructu denominatur sanguis draconis: quę ignota fuit nostris patribus qui existimabant cum Plinio esse sanguinem Draconis elisi pondere Elephantis morientis. Vocant Itali hoc gummi, sanguinem draconis in Lacryma, vt distinguatur ab adulterata quæ vēditur in pastillos efformata. Monarchis autē testatur apud Peruanos in massam cogi aliquando illum liquorem sicuti resina cogitur in regno castellæ, vnde vt differentia agnoscatur, appellant sanguinem Draconis in massa, vt illum in Lacryma. Hinc colligere licet veram hanc Lacrymam, si haberi potest, miscendam esse his trochiscis: sin minus, factitiam sumemus, cùm supra dixerimus ex. Fernelio eius vires accedere ad eas quæ sunt boli armenæ, quæ hos etiam trochiscos ingreditur, qui valent ad renum ac vesicæ vlcera, vrinæ difficultatem & sanguinis mistionem.

Trochisci è myrrha.

Menses validè cient, morbisque ex eorum suppressione medentur, secundas, fœtumque mortuum excludunt.

℞. myrrhæ ʒ. iij.

Lupino-

Lupinorum ʒ. v.
Fol. rutæ.
Mentastri.
Pulegii.
Cumini.
Rubiæ.
Assæ fœtidæ.
Sagapeni.
Opopanacis an. ʒ. ij.
Ex succo arthemisiæ pastilli formantur.

Saguyerius.

Pulegium ceruinum interpretatur Cordus dictamnum creticum, quod neminem ita nominasse audiui. sunt enim plantæ diuersissimę Pulegium & dictamnum, quamuis hoc idem præstare dicat Dioscorides atque pulegium satiuum, non verò dictamnum vocat pulegium vt asserit Fuchsius. Ceruini autem epitheton adiecit Mesues pulegio, & Cordus est interpretatus dictamnum, quoniam capris & ceruis quæ sagittis sunt percussæ, succurrat, vtrumque in Creta, vt Theophrastus & Dioscodes testantur. Pauca de Asa fœtida dicemus ex eodem Garcia qui aliis non recitata commemorat non parum tàm Medicis quā Pharmacopœis profutura. Asam duplicem agnoscunt omnes ex Auicenna, odoratā videlicet & fœtidā: & credit idē Garcias Asam fœtentem eandem esse cum Laserpitio quod non placet

Matthiolo, qui illud non esse apud nos autumat, cùm Asa talis prostet in officinis. Præterea suspicatur hanc vocem Asia deprauatam esse à Laser, & huius magnum esse vsum apud Indos tùm in medicina, tùm in cibis cõdiendis, sed purum impuro anteponitur, & hoc mundatur ab iis qui eo vti volunt: quod si verum est, dicam liberè palatum esse ferreum, aut eos nouisse modum aliquem emendandi fœtorem quem agnoscimus in Asa. Dicam etiam mihi non placere quod idẽ Garcias interpretatur odoratum vel odoriferum, id quod est odoris validi, siue boni, siue mali: sic enim conuenirent membra diuisionis quã proponit, quæ opposita esse debent, vt norunt Dialectici. Scio equidem odorem sumi posse tàm in bonam quàm in malam partem, sed postremum vix effertur sine addito. Iuncum odoratum legitimum & probatissimum esse dicit Dioscorides qui manibus confricando rosæ odorem emittit, & calamum odoratum commisceri aliis vt odor concilietur. Item vnguẽta hæc, Amaracinum, Crocinum & telinum odore cæteris præualere ait: atque Iasminum vsurpari apud Persas inter epulandum odoris gratia. Equidem spicam nardi dicit Dioscorides esse odore qui Cypero vicinus est, & hunciucundi odoris esse dicet idem. Et cap. de nardo celtica ait, hirculum qui ipsi nonnunquam miscetur, sic nominatum ab odoris grauitate. sed his relictis dicamus tales trochiscos ingra-

gratos admodum fore sumentibus propter myrrham officinarum, rutam, mentastrum, cuminum, rubium, asam fœtidam, sagapenum & opopanacem, & proinde non nisi in morbis grauiorib. sunt vsurpandi, vt in fœtu mortuo excludendo, si mulier sit satis robusta. Semper enim meminisse oportet præcepti Archigenis qui citò, tutò & iucundè curãdum admonet.

Trochisci è terra lemnia.

Incitatos & ferocientes humores præsertimque tenues compescunt, immodicum alui fluorem sumpti sedant, sanguinis sputum, vomitionem atque mictionem sumpti quoque compescunt, & aliam siue è naribus, siue ex vtero, siue ex hæmorrhoide & vndeuis factam sanguinis profusionem admoti supprimunt.

℞. sanguinis draconis.
Gummi arabi assati.
Rosar rub.
Seminis ros.
Amyli assati.
Spodii.
Acaciæ.
Hypocisth.
Lapidis hæmat.
Balaustiorum.
Boli armeni.
Terræ lemniæ.
Corallii rub.

Succini an. ʒ. ij.
Margaritarum.
Tragacanthæ.
Papaueris nigri an. ʒ. j. ß.
Seminis portulacæ tosti.
Cornu cerui vsti.
Thuris.
Nucum cupressi.
Croci an. ʒ. ij.

Cum succo aut aqua plantaginis fiant trochisci.

Plantius.

A trochiscis è terra Lemnia subtracti sunt trochisci Ramich quòd bonam istorum partem contineant. Hi autem plurimam adstringentium paritérque refrigerantium medicamentorum materiam complexi videntur, vt idcircò non aliis sit opus adstringentibus cõpositionibus : cumque hæc omnium sit validissima atque tutissima, aliæ omnes supprimantur vt trochisci Ramich, trochisci diarrhodõ, trochisci Oxyacanthæ, trochisci è succino seu Carabe & trochisci è spodio, quorum omnium minus est apta cõpositio. Trochisci diarrhodon qui ex rosis, spodio, santalo rubro & albo, ex croco & caphura constant, in istorum locum suffici quoque poterunt, si sapore nimium horrendi videbuntur.

Sagu-

Saguyerius.

His trochiscis admiscuit Mesues eos qui à rumice nomen habent, quos omisit noster Fernelius, quoniam bonam horum partem contineant, quæ sunt adstringentia & refrigerantia. Gummi Arabicum & Amylum asslantur vt sint adstringentiora. Semen rosarum vocat Antheram Cordus, cùm ἀνθηρὸς floridũ significet, ἀπὸ τοῦ ἄνθους ceu flore : flosculi autem rosarum cum suis capillis defluctiones, & alba mulierum profluuia cohibent mirum in modum. Hi autem pastilli excludũt eos q à rosis nominatur, græcis diarrhodõn, oxyacanthæ ceu berberis, è Carabe & è spodio, nihil enim aliud possunt quã præscripti è terra lemnia, & ij accipiunt aut omnia aut bonam simplicium partem quæ in prædictis pastillis continentur. Frustrà itaque parantur ij Diarrhodon quorum author est Nicolaus, & quos describit Rhazis : Item de berberis : Item descriptione Mesue qui etiam commendantur ad Diarrhœam : E. Carube seu succino eiusdem, ad sanguinem vndecunque fluentem : è spodio Arabum ad febres bilioſas cum alui fluore : sicut etiam è terra lemnia humores tenues exagitatos cõpescunt, à quib diarrhœa superflua excitatur, sanguinis spuitio, vomitio & mictio, & etiam quouis ex loco factam sanguinis profusionem. Cæterùm quod vocant latini succinum,

de cuius origine adhuc certatur inter doctiores, appellant Mauritani Karabe, quòd rapiat paleas ad se, id enim ex Auiconna sonat hæc vox persica: & χρυσοφόρων quoniam auri colorem ferax vocant græci, necnon χρυσοφόρον, cui vis ineſt ſiſtendi fluxiones ventris. Gigni autem ſuccinum in Inſulis Oceani ſeptentrionalis ſcribit Matthiol. in Dioſcorid. & lib. 3. epiſtol. ſubſcribit Ioanni Heſſo Norimbergēſi Medico qui ex Agricolæ ſententia credit ſuccinum eſſe ſpeciem bituminis, ex quibuſdam ſcopulorum crepidinibus erumpentem & tandem in mare defluentem: Id autem bitumen elicitur foras è terra tanquam ſudor pinguis per feruorem radiorum Solis. Quicquid ſit omnes ei tribuunt vim aſtrictoriam.

Trochiſci è Caphura.

Febrium ardentium æſtus, ſanguinis biliſque feruorem, viſcerum inflammationem calidioremque intemperiem, ex hiſque ortā ſitim compeſcunt.

℞. Roſarum rub. ʒ. ß.
Spodii.
Glycyrrhizæ, an. ʒ. ij.
Quatuor ſem frigid. maiorum.
Tragacanthæ.
Gummi arabici.
Croci.
Spicæ nardi Indicæ an. ʒ.
Santhali citrini ʒ. ij ß.

Ligni aloes.
Cardamomi.
Amyli.
Caphuræ an. ℈. ij.
Sacchari albiſſimi.
Mannæ electæ an. ʒ. iij.

Mucilaginis pſilii ex aqua roſarum depromptæ quantum ſatis eſt ad concinnandos trochiſcos.

Saguyerius.

Hi trochiſci à Caphura, quæ Indis Cafur dicitur nomen habent, cuius vtendi modus & inuentio ad Arabes debet referri. Ignota enim fuit veteribus Græcis, quam temperamento frigidam eſſe ſuprà diximus ex Garcia Luſitano qui ſe experimento didiciſſe ait eos qui ophthalmia aut aduſtione laborabant Caphuram ſenſiſſe, vt nix, frigidam. Eſt autem Gummi arboris quæ inglandem refert, à qua extrahitur, aut per rimas exſudat ſicut ait idem Garcias ſe vidiſſe in domo cuiuſdam Pharmacopolæ qui menſam habebat ex ea arbore vndè effluebat hic liquor: Item in tabella quadam, lata palmum apud mercatorem quendam, & apud gubernatorem D. Ioannem de Craſto, cui donatum fuerat huius ligni fruſtum femoris craſſitie. Non eſt ergo bituminis genus, vt ſcripſit Fuchſius, nec audiendus Platearius qui negat eſſe gummi arboris contra Auicennam & Sera-

pionem, & suum somnium de re sibi planè ignota nititur confirmare eorum authoritate qui nihil de ipsa scripserunt. Ad hæc risu excipit idem Garcias quod de albata Caphura per regem quendã Indum scripserunt Ruellius & Matthiolus, quoniã potentiores sunt Indiæ reges quã vt tali mangonio operã dare opus habeãt, & sic nullã esse caphurã quæ riachina vocetur, à rege Riach nũcupe-
» tur, asserit: Atq; rationẽ eius expurgãdæ do-
» cet quã audiuit ab amico baneane. Genus est
» hominũ qui rectius mercatores quã philoso-
» phi dici merentur. In panno lineo colligunt
» & in aquam calidam demittunt, addito sapone & limonum succo, deinde probè elotam siccant in vmbra, & sic candidior multò redditur, non multùm de pondere decedente: Arguit etiam Auerrhoen, qui in alios dicere nimium paratus est, quòd Caphuram in mari nasci dicat, & eandem faciat ambræ genus. Cæterùm quæ diximus omnia sunt intelligenda de natiua, non verò de ea quæ adulteratur zedoaria & mastiche cum aqua ardente, vt testatur Matthiol se certò scire, hæc enim calida est, illa frigida, vt dictũ est: ità vt non sit opus succedaneo caphuræ quod proponit Fuchsius flores Nympheę, sed diligẽtia Pharmacopœorũ post hæc resarciet ꝙ maiorũ nostrorũ incuria aut ignorãtia defecit incognitis multis regionib. q̃ nũc sũt nobilissimæ. Mucilago aũt Psyllii, quæ pingui est sapore,

sapore, adeò refrigerat, vt si in aquã feruentẽ iniiciatur, ea protinus deferuescat: contrariis itaque constare facultatibus cognoscitur, & testatur Mesues. Medulla etenim calida & sicca est ordine 4°. admodum acris, incidens, exulcerans septica & deleteria: Quæ verò in cortice residet, infrigidat & humectat 3°. gradu; pulicem græci dicunt ψύλλιον, vnde psyllium à semine quod refert forma hoc animalculum, Galenus id dicit in humectando & siccando symmetrũ quodammodo esse, & in refrigerando secundi ordinis. His trochiscis vim donant compescendi ardentium febrium æstus, qui sunt a bilis feruore, vnde viscerum ardor & intemperies calidior oritur, & sitis, symptoma fastidiosum admodum. Restant adhuc pauca differenda de saccharo tabarzet Auicennæ & aliis, Arabibus vocato, quod Fernelius vertit albissimum vt intelligant Pharmacopœi nominis Arabici Etymon, quo nomine maiores nostri ab aliquot annis videntur magis delectati quàm latino. Sciant igitur qui talibus gaudent, hoc nomen deductum rectè videri à dictione Persica Tabaxir, quæ lacteum humorem, aut succum vel liquorem alicubi concretũ denotat, & quæ tàm Arabibus quàm Turcis est cognita, vt testatur Garcias: & sic propriore epitheto dicetur saccharum Tabaxir quàm Tabarzet, atque tale saccharum scribit Auicenna frigidius esse &

subtilius.

Trochisci Galliæ muschatæ.

Sumpti cor, Cerebrum. reliquaque viscera mirè corroborant, os corpusque totum odoris suauitate perfundunt.

℞. Ligni aloes crudi ʒ.v.
Ambræ ʒ iij.
Moschi ʒ.

Mucilaginis tragacanthæ ex aqua rosarum factæ quantum satis est ad trochiscos efformandos.

Saguyerius.

A moscho qui gignitur in vmbilico capreæ simili, denominatur hæc compositio, vnde rectè moschata dicitur, sed quare Galliam vocarit Mesues nescio, nisi forsan quòd apud gallos suauium odorum sitientissimos eum fecisse vsitatum resciret. Ad multa vtiles hos trochiscos scribunt, sed præcipuè ad cerebri robur, dùm videlicet infirmatur copia humorum frigidorum. Totum etiam corpus odoris suauitate perfundũt: iis tamen mulieribus quæ strangulatui ab vtero sunt obnoxiæ, parum tuti.

Trochisci Aliptæ muschatæ.

Idem quoque tùm sumpti tùm suffitu excepti præstant, difficilique respiratione liberant.

℞. lada-

℞. ladani puriss. ʒ.iij.
Styracis calam. ʒ.j. ß.
Styrac. rub. ʒ.j.
Ligni aloes ʒ ij.
Ambræ ʒ.j.
Caphuræ ʒ.ß.
Moschi ℈ ß.

Aquæ ros. stillatitiæ quantum exigitur.

Saguyerius.

Ex secunda cisti specie ladanum fit, cuius in odoramentis multis est vsus, si legitimum sit, nec sabulo aut similibus vitiatum, ad cuius imitationem Paracelsi discipuli suum etiam iactant habere eiusdem nominis medicamentum sed virium longè diuersarum, quod vulgari officinarum idiomate dicunt Laudanon, ego verò lauda non: cuius apud Chemicos variæ reperiuntur descriptiones, & multum viribus ac compositione differentes.

Adam Abodestim quem dicunt genio Paracelsico donatum, miscet flores Antinonii & Aspaltum, & Aloen: atque eo vsum suum Paracelsum in morbis deploratis testatur. Alter miscet Antimonium præparatum, quod est à floribus diuersum, nisi confusione, vt solent, delectentur Paracelsici: Quercetanus addit opium, cuius vires emendat per vini spiritum & infusionem Confectionis ex Ambro. Omnes tamen huiusmodi

apparatus nihil habent commune cum Ladano græcorum, sed de hac re alibi in nostra videlicet Apologia copiosissimè disseruimus. Styracem rubeam interpretatur Cordus resinam styracis quæ subruffa aut flaua est, id est vt ait, optima, cui subscribit Matthiolus in epistol. lib v. Optimum tamen iudicauit Galenus quæ in calamis è Pamphilia adferebatur, & sic bis optima præscribitur Cæterum si quis requirat appellationem horum pastillorum, sciat Aliptam deduci ἀπὸ τῦ ἀλείφω. i. ab vngēdo quoniam iis mixtis alicui oleo potest inungi corpus ægrotātis dū opus est medicamento roborāte Asthmaticos, quibus etiā suffiti prodesse possunt. Quare nimis indistinctè scripsit Cord⁹ ex Nicolao, dū ait eos cōf erre pueris asthmaticis.

Trochisci bechici albi.

Acrem destillationem leniunt, raucitatem & assiduam tussim compescunt.

℞. Sacchari albissimi ℔ j.
Sacchari candi.
Penidiorum an. ʒ. iiij.
Rad. iridis florentinæ ʒ. i. j
amyli ʒ. j. ß.

Mucilaginis tragacanthæ ex aqua rosarum factæ quantum satis fuerit ad trochiscorum conformationem.

Saguyerius.

Hos pastillos vocant vulgò pilulas albas quoniam

quoniam quæ ipsas componunt simplicia sunt candida omnia: & quòd prosint tussi quā Græci βήχια appellant, dicuntur bechici aut tussiculares. leniunt enim acrem destillationem vnde raucitas, & tussientes iuuant eadem ratione vocatur Tussilago & bechium herba vulgò dicta vngula caballina. Saccharum candium dicimus id quod arte factum supplet vicem illius quod veteres salem Indum appellabant. Nigros prætermisit Fernelius, quoniam sunt minus grati nec magis possunt quam albi.

Trochisci narcotici.

Tutò admoti capitis dentiumque dolorem consopiunt, in febrium ardoribus somnum accersunt, erysipelata, inflammationes extinguunt, partium omnium externarum dolores aliis medicamentis soluti compescunt.

℞. Gummi arabici.
Et tragacanthæ.
Amyli an. ʒ ß.
Cerusæ lotæ aq. rosarum ʒ. vj.
Styrac calam.
Myrrhæ.
Castorii.
Opii sapa soluti an ϑ. iiij.
Croci ʒ ß.

Trita omnia excipiantur mucag. ps. l. ex aq. ros. deprompta, fiantque trochisci.

Plantius.

In trochiscorum ordinem ad vrgentes cruciatus rectè hoc loco postremo trochiscos adiecit narcoticos, quorum inprimis apta est compositio, & vsus perneccssarius : nec vlli extabant in eos effectus accommodandi.

Saguyerius.

Quod τὴν παρεὰν ceu stuporem partibus inducat sic sunt nuncupati, qui tuto admoueri possunt capiti ad eius dolorem atq; dentium compescendum: hos etiam trochiscos describit Fernelius lib. 6. methodi cap. 2. quos mitigatorios appellat, nihil mutato nec in simplicibus nec in ponderibus. Reponuntur etiã inter compositiones quæ induto stupore partis sensus obtundunt. Philonium pilulæ è cynogloſſo, oleum hyoſciami, papaueris, mandragoræ, in quibus opii aliquid interdum dissoluitur : cuius etiam pars æria chemicè extracta est summè narcotica.

DE ECLEGMATIS ET CONDITIS.

Eclegma è pineis nucleis.

CRassos thoracis pulmonumque humores extenuat atque detergit. asthmati, spirandi difficultati, tussique veteri idoneum.

℞. mu-

℞. Nucleorum pineorum recent. ʒ. xxx.
Pulpæ palmularum. ʒ xxxx.
Amygdal. dulcium, & amararum.
Auellanarum assatarum.
Tragacanthæ.
Gummi arab.
Glycyrrh.
Amyli.
Capilli veneris.
Iridis florentinæ an. ʒ. ß.
Pulpæ passularum.
Butyri recentis.
Sacchari albiss. an. ʒ. iiij.
Mellis albi exspumati lib. iij.
Fiat Eclegma.

Saguyerius.

Ἔκλειγμα vocatur latinis illinctus aut lirgurimentum, quod liguriendo absumatur paulatim, λείχειν enim græcis sonat lingere: Arabes quos sequuntur officinæ, nuncupant Lohoc aut Loc quoniam mellis crassitiem referat, vt superius de lacca annotauim⁹ ex Garcia : Hæc autem medicamenti forma aptissima est oppugnandis spiritalium morbis quẽ admodum & syruporum. Vocant Arabes hoc Eclegma de Pino, cùm rectiùs de pineis nominandum sit, vt facit Fernelius : hos nucleos dicunt græci pityides, & in conis quos etiam strobylos vocarunt veteres, reperiuntur. Hi sunt sapore pistaciis similes, atque

prosunt pulmonum vitiis,& purulenta excreantibus,vt satis norunt seplasiarii. Reliqua omnia quæ adduntur thoracis & pulmonum crassos humores extenuant & tergent, vnde fit vt hoc Eclegma iuuet Asthmaticos atque eos qui tussi inueterata affliguntur:& est sequentibus longè gratius Habet India nucleos pineos purgantes,nobis parùm notos.

Eclegma sanum & expertum.

Ad ea quæ proposita sunt superiore validius.

℞. Cinamomi.
Hyssopi.
Glycyrrh.an. ʒ. ß.
Zizipha.
Myxaria,an xxx n°.
Vuarum passarum purgat.
Ficuum aridarum.
Palmularum pinguium an ʒ.ij.
Fœnigræci ʒ. v.
Capilli veneris M.j.
Seminis anisi.
Fœniculi &
Lini.
Rad iridis.
Foliorum calaminthæ an. ʒ. ß.
Coquantur omnia in aquæ lib. iiij. dum libræ ij. supersint : expressum ius coquatur cum penidiorum lib. ij. ad mellis crassitudinem , adiice

adiice.
Pinearum purgat ʒ.v.
Amygdal. ducl. mundat.
Glycyrrh.
Tragacant.
Gummi arabici.
Amyli,an. ʒ.iij.
Iridis ʒ.ij. Fiat Eclegma.

Saguyerius.

Hoc certè dignum est suo authore Arabe: qui quæ est expertus in suo climate, omnibus conuenire existimauit. Certum est autẽ hanc compositionem præcedente multis gradibus esse superiorem,quod docebunt hyssopus,fœnigræcum, lignum & folia calaminthæ. Et proinde, si mihi credant seplasiarii , aut hoc expulsabunt eclegma è suis Apothecis , aut quod à scilla nomen habet,obliuioni tradent, quoniam horum duornm similes recensentur vires.

Eclegma è scylla eadem præstans.

℞. succi seu mucoris scyllæ & mellis optimi exspumati an.lib.j. Coquantur in eclegmatis consistentiam.

Saguyerius.

Nos admonet Cordus naturæ scyllæ, quam scribit Gallib. 8. simpl. admodum incidentem esse , sed non multùm calidam , dùm ait-

ipsam succum non habere, sed mucaginem, quæ extrahitur per contusionem in sagana aut mortario lapideo vel marmoreo ex pistillo quaiacino. Cum itaque hic succus sit adeò tenuium partium, melli optimo admixtum ad huius eclegmatis compositionem non poterit non iuuare difficilè spirantes, incidendo & attenuando humorem dyspneæ causam: Cui si addantur nonnulla ex iis quæ in superioribus sunt addita, aptissimum erit remedium, satis efficax & minus ingratum quale prescribit Fernelius hac ratione.

Eclegma ad Asthma omnium præstantissimum.

℞. scyllæ assatæ ʒ. ß.
Radicis iridis.
Hyssopi.
Prassii.
Marrubii, an. ʒ. j.
Myrrhæ.
Croci an. ʒ. ß.
Mellis q. suff. Fiat Eclegma.

Saguyerius.

Vocant hoc Eclegma compositum è scylla vt discernatur ab eo quod præcedit & simplici dici potest, quoniam scyllam tantùm cũ melle admittit, id est, scyllę succum, hoc verò scyllã ipsam assatã quę minus est acris & ad mu-

vtilior cruda, teste Dioscoride, quoniam hæc visceribus maximè nocet. Pancratium loco scyliæ vsurpant officinæ, quod mitius est scylla ex Dioscoride. Hic aũt notatu dignũ est quod scripsit Matth. quosdã nostræ ætatis Medicos aliã præparationẽ docuisse huius medicamenti simpl. quã explicant Galenus, & sic paratam scyllam sunt experti ad varios cerebri affectus frigidos plurimùm valere, & speciatim ad Epilepsiam. Eam crudam ab inuolucris expurgatam minutim secant, & cum melle multo in vas vitreum coniiciunt, insolantque dum viget canicula, seu in diebus dictis canicularibus vulgò, tãdem percolatum mel seruant vsui.

De Conditis.

Simplicia multa saccharo condiuntur, vt diutiùs integris viribus persistant: alia quidem integra, alia contusa. Integra quidem triplo saccharo coquuntur, dum omni absumpto humore syrupi perfecti consistentia supersit: vt Acorus conditus, ad frigidos cerebri & neruorum affectus, & eorum robur accersendum

Zinziber conditum ad ventriculi cruditates & lentam pulmonum pituitam.

Bugloſsi radix condita ad cordis palpitationem & animi defectionem.

Persica condita, mala odorata condita, cortex citrii conditus ad cardialgiam & me-

laacoliam.

Cydonia condita & diacydonion, pira condita ad ventriculum firmandum atque corroborandum.

Nuces iuglandes conditæ, myrobalani emblicæ atque cepulæ conditæ, nux moschata condita ventriculi concoctionem iuuant, appetentiam inuitant, roburque augent.

Cerasia condita, surculi lactucæ, endiuiæ & portulacæ conditi refrigerant, sitim leniunt, appetentiam excitant.

Oxyacantha condita, Ribes conditum, sitim & bilis ardorem extinguũt, reprimuntque alui profluuia.

Satyrium conditum, Eringium conditum, seminis prouentum faciunt, & libidinẽ excitant, concoctionemque iuuant.

At verò quæ coctionem vix sustinent, contrita duploque saccharo permista insolãtur, conseruanturque, & nomen retinent sacchari compositi vt iosachar, rhodosacchar. Hæc aũt præcipuè extare debent, saccharũ rosimarini, saccharũ saluiæ, florũ betonicæ, florum pæoniæ & stœchados, ad cerebri neruorumq; frigidos affectus & eorum robur continendum, ad Epilepsiam & Apoplexiam.

Saccharum è floribus iridis & è capillis Veneris & è radice enulæ, pectus blãdè expurgat, pulmonesque iuuat.

Sac-

Saccharum symphyti cruentam excretionem sedat.

Saccharum Violarum & florum buglossi, cor refrigerat & exhilerat.

Saccharum rosarum ventriculum firmat, arcetque destillationes, & sanguinis eruptiones compescit.

Saccharum è floribus Cichorii iecur refrigerat, eiusque obstructiones expedit.

Saguyerius.

Zinziber frequens in Italia, bene maturum & plenum non carioſum, multoties aqua lotum, & multis diebus maceratum, deinde saccharo conditum, palato est gratissimum, temperata acrimonia natiua huiusmodi præparatione, sicut docet Garcias. Contra verò Matthiol. magis probare videtur quod statim è terra effossum nulla ferè maceratione conditur. Valet aduersus ventriculi crudos humores, flatus & intemperiem frigidam. Condiuntur fructus, herbæ & harum cauliculi teneriores, radices, flores & similia saccharo aut melle aut mixtis ambobus: quæ omnia cum sint notissima etiam mulierculis, nihil est opus de hac re amplius scribere. Cordus quinque myrobal. genera conditorum adferri ex India scribit. Chebula condiri ab Indis testatur Garcias, & scimus Emblica Antuerpiam aduehi eodem modo parata, quæ sunt recentissima: & propter corticem tenuis-

simum perbellè suum seruant condimentum : Reliqua non sunt nobis adeò familiaria: condiuntur tamen omnia apud Indos.

Nescio qua ratione dicat Fernelius eryngium conditum excitare libidinem, cùm scribat Dioscorides ipsum discutere flatus: suspicor ergo eum pro suo more sequi officinarum errorem : quæ putant Arabum radicem zinziberi similem dictam secacul esse eryngium græcorum, quod est falsum, vt annotauit in Dioscoridem Matthiolus.

De *succis medicatis.*

Succi præterea medicati non pauci in vsus asseruantur, alii simplices ac synceri, alii saccharo permisti, qui quòd coquēdo in sapæ consistentiā crassescāt. Arabib. propterea Robub, id est, sapales appellantur. Expressi subsidere permittuntur dùm inclarescant, purior portio percoquitur in mellis crassitudinem, deinde insolatur & reconditur. Si saccharum permiscendum est, debet id pari dimidium dilioſas modo esse.

Succus è ribes asseruatur ad sitim, ac bilioſas vomitiones.

Succus è nucibus diacarycon dictus ad acres destillationes & anginas.

℞. Succi nucum iuglandium recentium lib. iiij. mellis optimi lib. ij. Coquantur ad mellis crassitiem.

Suc-

Succus è moris diamorων dictus.

Ad depescentia oris & gingiuarum vlcera & ad destillationes acres valet.

℞. Succi mororum domesticorum lib. ß.
Succi mororum rubi.
Mellis optimi exspumati an lib. j.
Sapæ ʒ. ñj.
Coquantur in mellis consistentiam.

Succus prunorum syluestrium coquitur dum prorsus crassescat, & pro Acacia vsurpatur.

Plantius.

Succus è ribe vulgari opitulatur etiam febribus acutis bilem temperando, æstuantem ventriculum refrigerat, cibi appetentiā mouet, celiacos & lientericos iuuat & sanguinis feruorem mulcet. Ribis ergò Arabici succedaneum erit commodissimum.

Græci vocant iuglandes τὰ βασιλικὰ βαλανία, id est, regias & latinis Iouis glandes propter excellentiam sunt appellatæ, quoniā illis inuentis idē vsus in cibis atq; prius fuerat glandium, quos neglexerunt nucleorum è nucibus capti dulcedine. Galenus meminit succi vij. simpl. quo parato vt dictum est, vtimur vt succo mororum & ruborum, & est, ait, stomaticum ceu ori dicatum medicamentum.

Arbor vnde accipiuntur mora à veteribus sapientiæ gloria fuit insignita, quòd germinet

nouissima inter vrbanas omnes, vndè fit vt eius fructus vastari nequeant à frigore, sicuti multis aliis contingit. Ex iis succus qui Diamoron dicitur, valet ad vlcera oris & gingiuarum depascentia, quò fit vt inter stomatica etiam recenseatur: acres etiam destillationes iuuat. astrictionē enim habet si omnino matura non sint, quam augent rubi mora, vt quæ suat qualitatis astringentis vt & eius folia, germina, flos & radix Gal. teste 6. simpl. sed semimatura colligi debēt, alias enim si ad summam maturitatem peruenerint, non parùm habent calidi succi temperati qui dulcis est.

Sapa conficitur ex musto ad tertias decocto, quæ dierum numero vt saccharum candescit: Græcis βέρμιον & ἕψημα vocatur, Arabibus Rob. Gallis, vin cuict.

Succus prunellorum, quæ vocat pruna syluestria Fernelius, coquitur dū prorsus crassescat, & pro Acacia vsurpatur, & rectè meo iudicio cum iisdem polleat viribus atque Acacia natiua. refrigerat enim & inspissat, atque si aliis medicamentis misceatur. eorum hebeat acrimoniam. Attamen si lentiscus aut thus obsoniorum aut hypocistis sit ad manum, melius substituentur Acaciæ teste Dioscoride. Sciant autem Pharmacopœi in simplicium succis latere eorumdem facultates præcipuas.

DE

DE EXTERNIS MEDICAMENTIS, AC PRIMUM de Oleis.

Oleum rosatum.

INflammationes & stomachi ardores extinguit, roborat, densat, fluxionesque sistit. & gemmarum ros. rub. recent. vnguibus expurgat atque tritarum.

Succi rosarum an. lib. j.

Macerentur in olei omphacini salis expertis lib. v. in vitreo vase obturato, diebus septē insolentur, coquātur trib. horis in vase duplici, expressis abiectisque foliis noua immittātur, permutenturque secundò ac tertiò. Postremo expressis, abiectisque foliis insolentur & coquantur vase duplici, dum succus absumptus sit. Si oleum deest, Omphacinum salis expers, vulgare idemtidem agitandum, lauādumque succo vuæ acerbæ.

Saguyerius.

E rosis multa vtilissima parantur, videlicet syrupus purgatorius ex Infusionibus, mel rosaceum. Conserua tàm liquida quàm sicca, & oleum de quo nunc agimus, quod à rosaceo Dioscoridis maximè differt & vim habet sedandi inflammationes & sistendi fluxiones vt norunt Chirurgi qui eo frequenter & vtiliter vtuntur in capitis vulneribus, Galenum se-

quuti ex 2°. lib. de compes. medicament. secúdum partes.

In vniuersum autem sciant Pharmacopœi apud Medicos olei duplex esse genus, simplex videlicet & compositum: & rursum illud fit aut pressu aut destillatione: ita ex amygdalis, nucleis, pineis, nucib. tàm iuglandibus quàm myristicis, & aliis multis fructibus elicitur: Item ex baccis lauri, iuniperi, myrti &c. Ex seminibus oleagineis lini, cannabis, papaueris, hyosciami &c. Destillatio duplex est, per descensum videlicet & ascensum, per descensum elicitur oleum è iunipero, tartaro & lateribus, quod vocant Philosophorum Chemistæ. Per ascensum verò ceu sublimationem quem subsequitur descensus, quinta essentia vocata Chemiatris, seiungitur à crassiore materia cum odore & sapore. Mixtum oleum paratur è simplici, in quod infunditur materia quorum libet simplicium siue sint herbæ, flores, cortices, fructus, Aromata, lacrymæ, ligna & gummi.

Obseruandum autem quod ex veterum, quos sequutus est Fernelius, præscripto, non nisi ex vegetabilibus parantur olea, omissis mineralibus & metallicis quæ sunt Chemistis frequentissima: Vt Oleum Antimonii, Martis ceu ferri, Mercurii ceu hydrargiri, Saturni ceu plumbi, Solis ceu Auri, Lunæ ceu argenti, & sic in reliquis, quæ reperiuntur in libris Alchemistarum, qui vulgares nostras præparationes irrident & arguunt, qua de re postea fusius agemus, vt si Pharmacopœus taliter præparare velit habeat, quem sequatur.

Oleum Violatum.

Ardores extinguit, remittitque phlegmonas, pleuriticos iuuat, pulmonis thoracisque vitia lenit.

Fit ex vulgari oleo maturo vel amygdalino recenti & insulso, aut quod saltem aqua frigida elotum sit. In id igitur recentes violæ purpureæ coniiciuntur operculato vase, insolanturque dies solum x. tertio quoque die violis mutatis additisque postremò siccis.

Oleum Nymphææ.

Magis refrigerat, ardoresque præcipuè renum, vesicæ & capitis, ac etiam delirium cõpescit, accersitque somnum.

Fit vt violaceum ex floribus Nymphææ albis oleo lato maceratis, at insolatur dies xx. floribus ter interea mutatis.

Oleum papaueris.

Omnia efficacius quàm nymphææ præstat, & propriè capitis dolores atq; deliria sedat, somnumque conciliat.

Papaueris albi flores, folia, atque capita cõtusa macerantur oleo loto, perficiturque vt

nympheæ. Coqui etiam potest leniter vase duplici. Sunt qui è papaueris albi semine perinde atque ex amygdalis oleum hoc exprimunt.

Plantius.

Nonnunquam per expressionem elicitur oleum è semine papaueris sicut fit ex amygdalis: quod maximè commēdatur per os sumptum ad ʒ. iiij. aduersus acrimoniam cuiuslibet veneni quoniam pingue est admodum Matthiolo teste. Et omnia efficacius præstat quàm nympheæ oleum: Ego tamen experientia subscribente & gratius & minus refrigerans quàm nympheæ iudico.

Oleum hyosciami albi.

Eadem ratione comparatur atque papauerinum, tùm macerando tùm exprimendo: non minùs ad omnia efficax quàm papauerinum.

Saguyerius.

Hoc oleum commendat Matthiol. in phlegmonis partium pudendarum vtriusque sexus: & ego sum expertus vtilissimum in penis & ceruicis vlcere quod comitabatur ardor & dolor summus. Sic parat idem Matthiolus. Sume nouum & siccum semen hyosciami, tunde & repone in vitreo vase aut stamneo, sed prius affundatur semen aqua vitæ: reponatur

natur vas in balneo calentis aquæ xxiiij. horis. Demùm adhuc feruens sacculis impone, & prælo subiice, vt effluat oleum. Dioscorides aquam calidam affundit loco aquæ ardentis, & ad aurium dolores maximè commendat.

Oleum Mandragoræ simplex.

Multò euidentius refrigerat, dolores ex inflammatione compescit & somnum accersit. Fit autem è pomis mandragoræ tusis & oleo maceratis leniterque coctis vt nympheæ oleum

Oleum Mandragoræ compositum.

Omnium summè refrigerat & dolores omnes ex inflammatione atque etiam alios cōsopit, capitis dolores, phrenitides cōpescit illitum & naribus obiectum, promptèq; somnum conciliat.

℞. olei lib. ij. ß.
Succi pomorum mandragoræ ʒ. iiij.
Succi hyosciami albi ʒ. ij.
Succi capitis papaueris albi ʒ. iij.
Succi violarum.
Succi cicutæ tenerrimæ an. ʒ j.
Opii.
Styracis calam. an ʒ ß.

Permista omnia diebus x. insolentur, deinde coquantur vase duplici dùm succi absumpti sint, oleum tandem coletur atque recondatur.

Saguyerius.

Mirum non est si adeo refrigeratorium sit hoc oleum, cùm tot constet refrigerantibus: Itaque non nisi cum summo iudicio eo vtendum est & vrgente necessitate, vt extremis malis extrema exquisitè remedia præscribantur.

Oleum Melinum seu Cydoniorum.

Refrigerat & astringit, ventriculo, iecori intestinisque imbecillis accõmodatum: hinc vomitum, alui profluuium, sudoremque illitu sistit.

℞. Cydoniorum cum cortice & semine tusorum.
Succi cydoneorum an. lib. ß.
Misce in vase vitreo & affunde olei omphacini ℔. j. ß.

In sola diebus xv. deinde bulliant horis quatuor in vase duplici. Expressis cydoniis alia deinde similiter secundo incoquantur, atque etiam tertio dùm nihil reliquum sit humoris. Expressum tandem oleum recondatur.

Saguyerius.

A Cydone cretæ seu Candiæ oppido, malũ cotoneũ dictum est Cydonium, & à Catone vocatum Codoneum, forsan quòd lanuginem exterius habeat nostro gossipio similem, quam vulgò nuncupamus Cotonium: cuius

cuius vires astringentes etiam mulierculæ norunt, & ex eo oleum, quod melinum dicunt græci, cuj sunt facultates similes: sic autem dictum suspicor ab excellentia, quandoquidem τὸ μῆλον signa in genere mâlum seu pomum.

Oleum Myrtinum.

Refrigerat, adstringit & roborat, propriè verò cor, ventriculum, cerebrum atque neruos.

Fit vt melinum ex myrti baccis & foliis, addito etiam succo cùm haberi potest.

Oleum Mastichinum.

Cerebrum, neruos, ventriculum, heparq; adstrictione roborat, lienteriæ, vomitioni & cruditati accommodatum.

℞. Mastiches ʒ. iij.
Aquæ rosarum ʒ. iiij.
Olei omphacini vel rosati. ℔. j.

Coquantur in vase duplici ad aquæ consumptionẽ. Vinum vice aquæ rosarum ponitur, quum neruorum lassitudo lenienda est.

Saguyerius.

Fernelius loco vini addit aquam rosquãdo tamen neruis lassis subueniendum est, vinum addendum scribit. Matthiolus autem ait se confeciſſe multoties oleum hocè puriſſima maſtiche ſola per vitrea organa. Dio-

scorides etiam ex ea trita parat. Chemici oleum paratum è mastiche officinarum more non dignantur nomine olei mastiches, sed oliuarum, quasi nihil aliud possit quàm quod elicitur ex oliuis: qua in re sunt iniqui censores. Certissimum est enim tale oleum vim astringendi accipere à mastiche per coctionem: quamuis non æquè sit efficax atque id quod è sola mastiche in vitreis organis extrahitur, sublimatores infundunt in aquæ communis destillatæ & aquæ vitæ æquis partibus masticbes libram vnam, vas iis plenum includitur fimo calido per aliquot dies, deinde destillant vt moris est ipsis in harena aut ferri vt loquuntur, batitura, atque extrahunt ʒ.x. olei è libra vna.

Oleum mentæ.

Ventriculũ, aliasque partes illitu corroborat, concoctionemq; iuuat moderato calore.

Mentæ satiuæ tusa folia cum succo macerantur in oleo omphacino, insolantur, coquuntur, sæpiusque mutantur, vt in rosaceo præceptum est.

Oleum Absynthii.

Modicè calefacit & corroborat, cõcoctionem iuuat, appetentiam excitat, obstructa soluit, lumbricos enecat.

Absinthii comæ tusæ in oleo quoque omphacino macerantur, hocque vt mentæ perficitur.

Saguyerius.

Hęc olea dicata sunt ventriculo quemadmodum & herbæ ipsæ, & præterea lumbricos necant, si ipsis inungantur os superius ventriculi post aliquot horas à sumpto medicamento purgante: notum est enim quod mentæ succus epotus cum sacharo alui tineas deiicit & vtero refrigerato conducit sicut & eius oleum.

Oleum Camæmelinum.

Neruos atque membranas moderata adstrictione corroborat, modicè resoluit, dolores apprimè sedat.

℞. Florum chamæmeli recentium & tusorum ℔ j.

Mergantur & macerentur in oleo dulci maturo & insolenter diebus canicularibus xx. Expressis reiectisque foliis oleum recondatur.

Saguyerius.

Etiam tali oleo dulci & maturo ad præparationẽ huius olei vtuntur spagirici, quòd immaturum minimè conueniat his floribus macerandis qui non astringendi sed resoluendi facultatem habent, quam impediret oleum omphacinum. Quantum ad ea quæ

parantur ex mẽta, absinthio, lẽtisco, nardo similib. moderatè calefacientib. ventriculũ & alias partes roborantibus, omphacinum requirunt Cæterum maiores nostri vocabãt hoc oleum è Chamæmelo sanctum, vt legitur in Chirurgia Ioannis de Vigo, quoniam eximiis viribus donatum sit. rarefacit enim, laxat & digerit moderato calore: sic audimus sapientes Ægyptiorum Chamæmelum consecrasse Soli propter singulares dotes quibus ornatum est: Et nostri chirurgi hoc oleum & rosaceum habent in vsu frequenti.

Oleum liliorum:

Thoracis, ventriculi, vteri, renum, vesicæ atque neruorum dolores sedat, lenit, atque coquit.

℞. Flotum liliorum alborum integrorum abiectis dumtaxat filamentis croceis ℔.j.

Macera in oleo dulci & maturo & in sola diebus xx.

Fit & aliud quod compositum appellant ad omnia quę dixi efficacius quod recipit mastiches,

Calami aromatici.
Costi.
Olei pyrethri.
Carpobalsami an. ʒ.j.
Caryphyll.
Cinamomi an. ʒ. ß.

croci

Croci ʒ.iij.
Tusa omnia aqua macerentur horis xxiiij.
Bulliant modicè subtractis igne affunde olei dulcis ℔.ij.
Foliorum liliorum ʒ.viij.

Insolentur diis xl. expressumque oleum recondatur.

Saguyerius.

Præscribunt spagirici aquam communem destillatam aut pluuialem pro lotione olei immutari, & nonnunquam sumunt aquas destillatas ab iisdem herbis quas volunt ipsi oleo infundere & vinum astringens addunt, vt in menta, lentisco, absinthio, nardo & similib. roborantib. & modice calefaciẽtibus. Quod si maiori sit opus calefactione, attẽuatione aut resolutione accipiũt aquã vitæ & oleum lotum & depuratũ vt supra ad æquales partes pro infusione herbarum aut florũ. In fimo calido digerunt per mensem; deinde exprimunt more nobis recepto.

Huic autem oleo liliorum vis est neruos roborandi, dolores soluendi si quid aliud id præstet: sed priuatim vuluæ duritias emollit: sed compositum longè efficatius est simplici.

Oleum leucoii lutei.

Thoracis, renum, vesicæ, neruorum arti-

culorumque dolores compescit.

℞. Florum leucoii ℔b. j.

Macera in ℔b. j. ß.

Olei dulcis, in sola dies x. ter mutatis floribus: expressum oleum reponitur adiectis si placet florum siccorum ʒ:iij.

Saguyerius.

Quemadmodum violas luteas vocant Arabes cheiri, sic & oleum dicunt Cheirinum. officinæ autem impropriè nuncupant tales violas λευκόϊα, cum sint albæ: τὸ λεύκιον, græ. album est, & τὸ ἴον. viola: melius ergo vocabitur oleum ex ipsis luteis violis paratum, violaceum luteum quàm è leucoio luteo. sic tamen distinxit Dioscorides Leucoion vt extundatur ad ceruleum, purpureum album & luteum: huic autem præcipuam vim esse in medicina ait: & eius oleum scimus esse anodynum valde dùm articuli aut nerui doloribus corripiuntur. renibus etiam ac lumbis, vesicæ & thoraci dolentibus succurrit eximiè.

Oleum Iasminum.

Eadem quæ leucoii oleum multoque validius confert, summè preterea molliens ac leniens, fitque vt oleum liliorum.

Saguyerius.

Hoc oleum, ait Mathiolus, frigidis affectibus

bus non obscurum adfert auxilium. Stirps vero vndè elicitur, è floribus eius videlicet, Iosemin ab Arabibus vocatur, qui græcos fortasse imitati, quibus viola, vt diximus, appellatur ion, voluerunt tale nomẽ dare: vernacula enim ipsorũ lingua dicitur zambac siue sambhach, vnde oleum appellatur zambachinum, teste Serapione: quod est maximè diuersum ab eo quod describit Dioscor. lib. j. cap. 66. si quidem fit hoc ex albis floribus violæ: qua de re legatur Matthioli commentarius in Dioscoridẽ, & epistola ad Ioannẽ Hessum Norimbergensem Medicum, vbi variis & validis argumentis probat Iasminum Arab. incognitum fuisse veteribus græcis. Cæterum hic flos adeo suauiter spirat vt cunctis gratissimus in multorum hortis alatur. vidi pulchertimam hanc stirpem in horto Granceiæ domus, quo supra modum delectabatur D. Feruaquius: sed periit hortulani incuria, defluente super ipsam niue liquefacta calci mixta ex tecto domus rusticæ in qua asseruabatur aduersus frigora.

Oleum anethinum.

Modicè calefacit & digerit, cephalalchiam neruorumque dolores lenit & somnum conciliat.

Fit ex comis Anethi viridibus, quæ insufficienti oleo dulci macerantur, insolantur-

que die vno: aut coquuntur in vase duplici, expressisque comis colatum oleum recondituꝛ.

Saguyerius.

Digerit, Anodynum est, flatus discutit, & crudos humores concoquit. Huic simile est oleum anisi, quod chemicè paratum sumptũ aduersatur colico dolori à flatibus.

Oleum Amygdalarum dulcium.

Dolores demulcet, partes exasperatas, præcipuè verò pulmones reneſque lenit, sicca & dura emollit, hecticis & tabidis familiare. fit autem sic, Amygdalæ dulces diligenter expurgatæ plurimum terũtur, affuso aquæ rosaceæ momento, deinde vase exceptæ circiter horas quinque in aqua calida cõtineantur, foueanturque vt aliquantum incalescãt. Postea sacculo conclusæ torculari premantur dum oleum emanet.

Saguyerius.

Amygdalinum oleum describit Dioscorides & post eum Mesues, quem sequitur Fernelius: debẽt autem amygdala delibrata cõtũdi in mortareo. Eius autem olei rectè parati vsus maximè prodest ad leniẽdam asperæ arteriæ scabritiem, simul & pulmonum atq; renum, hecticis & tabidis familiare, humectat enim; & sic tàm potum quàm illi & iuuat

iuuat vuluas iuduratas, atque vesicæ cruciatibus vtile est si in eam per argenteam fistulam iniiciatur. Ex amaris amygdalis eadem methodo elicitur oleum dulci longè efficacius, obstructiones aperiens, & flatus eorumdem dissipat: quemadmodum & aurium dolores ab iisdem flatibus aut frigidis humoribus, vt est etiam idiotis cognitum.

Oleum Lumbricorum.

Moderato calore emittit, lenitque dolorem, contusis & arthriticis inprimis aptum.

℞. Lumbricorum terrestrium lotorum & præparat. lib. ß.

Vini albi ℥ ij.

Olei dulcis lib ij.

Bulliant dùm vinum consumptum sit, & lumbrici contabuerint, percoletur oleum & seruetur.

Saguyerius.

Vermes terreni loti & oleo mixti, vasque vitreo excepti calore balnei sunt macerandi, vt succum suum communicent glutinatorium ipsi oleo. Alii eosdem lotos vino albo, sine oleo vase excipiunt, cuius os est obstructum ne quid exspiret. In balneum aquæ calefactæ immergunt, & feruere permittunt donec quid oleosum effluat: quod maximè iuuat neruorum & intestinorũ vulnera. Spagirici ex iisdem eliciunt aquam aduersus hy-

dropem & infantium vermes: atque lumbricos viuos prodesse appositos panaritio, quod græc. παρωνυχίαν, id est, absessum ad vnguium radices, asserunt; vt legitur in libello cuiusdam Chymiri de Medica præparat. Vbi sui immemor approbat proprietates occultas quas sanam Asinorum Anchoram alibi nominauit: Nescio enim qua vi possent vermes appositi digito tam atroci dolori prodesse, si nõ id fiat per quid abditum. Id autem habet ille à suo Paracelso qui idem scribit in sua berthonea.

Oleum Irinum.

Coquit, extenuat, resoluit, hepatis, splenis, vteri & articulorum dolores sedat, thoracis, pulmonumque matariam coquit.

℞. rad. iridis tusarum lib. ß.
Florum iutegrorum lib. j.
Decocti vel si potentius optatur succi alterius rad. iridis lib. j.
Olei dulcis lib. ij. ß.

Coquantur in vase duplici dùm liquor euaporauerit: expressis deinde radicibus & foliis recondatur oleum.

Saguyerius.

Cùm sit Iris calida & sicca 2°. ordine completo cum odore non ingrato ita vt mansa oris halitum ceu spiritum commendet: vnde coniicere licet quid possit oleum ab ipsa iride extractum. Cordus recenset duplex compositum quorum vires possunt supplere multa quæ hic recensentur si huic simplici pro ratione aut vsus necessitate misceantur: proinde ea rectè omisit noster Fernelius vt & plæraque alia quę aut parum efficacia, aut superflua habentur.

Oleum Rutaceum.

Calefacit, crassos humores attenuat, discutitque flatus, quàm Anethinum valentius. cõfert dolori colico, paralysi, spasmo, vteri ac vesicæ perfrigerationi.

℞. foliorum rutæ modicè siccorum, succi eiusdem an. lib. ß.

Macera triduum in olei dulcis lib. iiij. Bulliant in vase duplici dùm succus sit absumptus: expressa deinde ruta ter quaterue mutetur, postremò expressum oleum seruetur.

Oleum Amygdalarum amararum.

Validè attenuat atque incidit, flatus omnes, præsertim aurium tinnitus dissipat, obstructiones iecoris aliorumque viscerum tenuando, tergendoq; expedit, duritias præsertimque neruorum mollit.

Fit ex amygdalis amaris siccis & expurgatis, tusis, aqua feruente calefactis, pressisq; torculari dum oleum emanet.

Oleum è capparibus.

Extenuando detergendoque duritiem

omnem propriéque lienis & obstructionem soluit, eiusque dolorem omnemque affectum lenit.

℞. rad capparis ʒ j.
Cort rad. tamarisci.
Folicrum tamarisci.
Semininis agni.
Scolopendrii seu asplenii.
Cyperi an. ʒ ij.
Rutæ ʒ.j.
Aceti.
Vini optimi an. ʒ.ij.
Olei maturi lib j.

Coquantur in duplici vase ad consumptionem vini & aceti: percolatum oleum recondatur.

Saguyerius.

Hoc oleum compositum est ex multis quæ lienis mala demulcere possunt, quorum vim magis penetrantem reddunt acetum & vinum. Nullus autem est ex medicorum, Chirurgorum, aut Pharmacopœorũ vulgo quod splenicis hoc conueuire ignoret: siquidem scripsit Dioscor. corticem capparis illini vtiliter cum farina & eius fructum ad ʒ. ij. quadraginta potum ex vino lienem absumere: oleum verò extenuando & tergendo eiusdem visceris obstructionem & dolorem soluit.

Oleum Nardium simplex.

Calefacit, tenuat, digerit ac roborat: cerebri

bri, ventriculi, hepatis, lienis, renũ, vesicæ ac vteri frigidis & flatulentis affectibus mirè succurrit tùm simplex tùm compositum.

℞. spicæ nardi ʒ.iij.
Vini optimi.
Aquæ rosaceæ an. ʒ ij. ß.
Olei dulc. lib. j ß.

Coquantur horis circiter quatuor in vase duplici prunis non acribus dùm vinum & aqua euaporent.

Oleum Nardinum compositum.

℞. spicæ nardi ʒ.iij.
Sampsuchi ʒ.ij.
Xylaloes.
Enulæ.
Folii aut maceris.
Casami aromatici. aut galangæ.
Foliorum lauri.
Cyperi.
Schœnanthi.
Cardamomi an. ʒ.j ß.
Contusis affunde vini, aquæ rosaceæ an. lib. j.
Olei dulc lib v.
Macerentur horis xxiiij.

Deinde coquantur in diplomate horis sex, subinde mouendo dùm vinum & aqua absumantur.

Saguyerius.

In vtriusque præparatione Mesues re-

quirit oleum è sesami semine, quod viscosum est & pingue, emplasticum, emolliens & modicè calidum: quo vtuntur Indi in Lucernis, & ciborum condimẽtis, sicuti vtimur oliuarum oleo: Habent enim tale semen copiosissimum. Diploma autem græcum est vocabulum, aliud significans apud Iurisconsultos, aliud apud nos. Cordus interpretatur post alios multos authores vas duplex, barbaris balneum mariæ, quasi in tali vase decoxerit Maria soror Mosis quam faciunt spagiricam, sua aromata. Credo nomen cõpositum ex dis & πλώρω, id est, bis nauigo, quòd quæ vase continentur, bis nauigare videantur, primùm in oleo, vino, aqua vitæ aut alio liquore in quo macerantur, deinde simul cum vase in altero quod aquam continet. Marcellus tamen Dioscorid caput de medulla in diplomate liquata explicans, hoc genus vasis nobis incognitum esse ait.

Oleum Laurinum.

Calidum extenuans, ventriculi flatus colicosque dolores, capitis, viscerum, vteri, renum, neruorumque frigidos morbos discutit.

Lauri baccæ maturæ tundantur, diuque ex aqua coquantur, colato iuri atque refrigerato pinguedo innatans colligatur & pro oleo recondatur.

Sagu-

Saguyerius.

Hic apparatus olei Laurini est apud Dioscoridem, cui & aliũ addit incoquendo tenera folia & baccas Lauri oleo ompacino, quod inspissatum est cypero, calamo odorato & iunco: atque aliquando etiam myrto & styrace, & compositum dicetur. Ait Matthiolus sęplasiarios Italicos emere hoc oleum ab iis qui eius eliciendi artem exercent: Et Cordus ipsum in Germania non facilè fieri posse scribit, proinde emi cõsulit ab iis quos vocat materialistas. Spagitici volunt digeri lauri baccas per mensem in fimo calido ante quam exprimatur oleũ. Ventriculi flatus & dolores coli dissipat suo calore attenuante, necnon aliarum partium morbos frigidos, sed maximè valet in hepatis doloribus & hemicrania.

Oleum vulpinum.

Attenuat & aliquantùm digerit: podagræ omniq; arthritidi leniendæ omni morbi tempore vtile.

Vulpem pelle nudam & exenteratã, minutim concisam, coque in aquæ fontanæ & marinæ seu salsę paribus portionibus. Ex dimidio coctæ adde salis ʒ.iij olei veteris puri lib.iiij. thymi, anethi, origani an lib. ß. Coquantur ad artuum dissolutionem & aquæ consumptionem exprimaturque oleum.

Oleum è scorpionibus.

Extenuat adeò vt illitum lumbis renum calculum, pubi verò aut peritoneo illitum aut in vesicam iniectũ vesicæ calculum terere & exturbare credatur.

℞. rad. aristol. rotundæ.
gentianæ.
Cyperi.
Corticum rad. capparis an ℥ j.

Contusa omnia macerentur in lib. j ß. olei amygdal. amararũ & insolentur dies xx deinde modicè coquantur in vase duplici, iniectis sub finẽ scorpionib. quindecim. Iterum insolentur dies xxx. ac tùm excolatum oleum recondatur.

Saguyerius.

Hoc oleum compositum refertur ad Mesuem, qui etiam simplex descripsit ex triginta scorpionibus & lib. ij. olei amygdal. Macerantur scorpii per mensem vel totam æstatem serenam. Habetur & alia descriptio admodùm artificiosa apud Matthiol. commentario in præfationem lib. 6. Dioscor. cuius vires sunt experientia cognitæ aduersus venena & pestilentiam. Mesues suum commendat in vesicæ calculo si renibus & pubi illinatur aut per meatum vrinarium iniectum. Auicenna verò commendat ad aurium dolores. Fernelius etiam compositum idem præstare ait.

Oleum

Oleum Terebinthinæ.

Calidum est ac tenue, altéque penetrans magis quàm tenebinthina: præduros tumores mollit & extenuat, frigidos neruorum & articulorum morbos tollit addito robore.

℞. terebinthinæ lucidæ lib. iiij.

Repone in cucurbitam vitream, quam in arenas immerge, igneq; subdito halchymistica aquam primùm, deinde lucidissimũ elicies oleum, ac postremò flauum.

Saguyerius.

Oleum terebinthinum fit vt lentiscinum aut laurinum ex Dioscoride: vnde colligimus è fructibus terebinthi sicut illa duo cõfici: Hoc verò non fieri in Italia nec aliundè conuehi testatur Matthiol. in cap. 39. lib. j. Dioscoridis: & de ipso nunc non loquimur, etiãsi eius meminerit Mesues, sed de oleo è resina quæ è Cypro defertur Venetias, vnde & Veneta nuncupatur, omnium præstantissima, sicut oleum ipsum ab ipsa extractum summe laudatur in frigidis neruorum & articulorum malis, quoniam alte penetrat & cum his partibus aliquam habet affinitatem occultam. Eliciendum autem est leuissimo calore & per vaporẽ temperatum balnei, quem modum vocat Cordus artis destillationẽ. Noster verò Fernelius halchymistiam dicit recẽtiores sublimatores spagiriti-

cum appellant, ἀπὸ τοῦ σπᾶν καὶ ἀγείρειν, id est, à conuellendo & cogendo, quoniam spiritualis quædam essentia efficacissima sic eliciatur.

Oleum Ricininum.

Summè tenuans ac digerens, aurium dolores tinnitusque dissipat, manantia capitis vlcera, psoras, lepras, fœdasque cicatrices extergit, clystere aquas & lumbricos elicit.

Ricini grana expurgata tunduntur, ex hisque perinde atque ex amygdalis oleum prolicitur.

Oleum Balaninum.

Aurium quoque dolores & strepitus soluit, varos, lentigines, maculas, citatricesque nigras delet, & aluum subducit, vomitumque ciet.

Fit ex balano myrepsica quod granum ben Arabes appellant, teritur, caleſit, oleumque exprimitur non aliter quàm ab amygdalis.

Saguyerius.

τὴν βάλανον μυρεψίκην Dioscoridis vocan Arabes granum ben, quod in Hispania frequentissimè nascitur, ex Insula diui Dominici, in India, allatum. Duorum est genera, magnum & triangulare quod Auellanas refert, & est purgatorium Indis familiare:

liare: & paruum ciceris quãtitate. Vnde elicitur oleum odoratum, quo Itali deliciarum gratia vtuntur capillum & barbam irrorãtes, vt scribit Monardis. Nam contrarium asserit Matthiolus, siquidem id plane inodorum esse ait comment. in Dioscoridem. Commendari autem ait apud vnguentarios à quibus nomen accepit, quod nunquam rancidum fiat, vnde aptissimum ipsum iudicarunt vnguentis temperandis. Omne autem oleum vetustate ranceſcit, præter balaninum, cuius mentionem faciens Dioscorides dicit Caryino simile esse viribus. Itaque aurium strepitus & dolores solut: varos, lentigines, maculas & cicatrices nigras delet.

Oleum è Castorio.

Frigidis confert cerebri & neruorum affectibus, surditati, aurium tinnitui, paralysi, tremori, spasmo & febrium rigori inuncta dorsi spina.

℞. Castorei aqua vitæ soluti ʒ. j.
Olei lib. j.

Bulliant in vase duplici dùm tertia pars absumpta sit.

Saguyerius.

Hoc longe diuersum est ab eo quod describit Cordus ex quodam Iacobo de Manliis, qui castorii ʒ. ij tantùm addit, mul-

tis aliis admixtis maiori aut æquali pondere. Nostri autem Fernélii propriè & verè è Castorio dicetur, quod proderit neruorum & cerebri frigidis affectibus, resolutioni membrorum & spasmo, modo non sit ab inanitione.

Oleum Euphorbii simplex.

Eadem sed efficacius multò præstat, ac præterea naribus immissum pituitam elicit.

℞. euphorbii ʒ. ß.
Olei leucoii lutei, vini odoriferi an. ʒ. v.
Coquantur ad vini consumptionem.

Saguyerius.

Præcedenti ad eosdem vsus efficacius sicut ab euphorbio castorium viribus vincitur. est enim succus acerrimus quem satisnorunt officinæ, dùm tundendus est. penetrat enim omnia quibus se muniunt qui cõtundunt ipsum, & os atque nares ferit grauissime. Ab Euphorbio Medico regis Lybiæ nomen accepisse fertur.

Oleum è lateribus seu philosophorum.

Calefacit, penetrat, mollit dura, resoluit ac discutit tumores frigidos: opitulatur spasmo, epilepsiæ, paralysi, podagrę, & omnibus iun-

iuncturarum & neruorũ frigidis affectibus.

Laterem ruffum ac inueteratum in frustula confringe, hæc vrito in prunis donec tota ex candu erint: deinde exempta restinginto in oleo claro veteri, & dimittito quousque se oleo impleuerint. Postea oleo exempta in tenuissimum puluerem contundito, atque in cucurbitam vitream indito & arte oleum elicito & reponito.

Saguyerius.

Omnes sciunt laterem nihil aliud significare quàm terram excoctam & in lapidem duratam: Habet igitur ab igne & materia siccitatem, & à priori caliditatem, qui cùm rursum agit in frustula eius, calorem renouat. Vnde fit vt oleum cui sunt immixta & in quo sunt extincta chymistice extractum, penetret, molliat &c. Refertur ad Mesuem: Meminit etiam Dioscor. testarum formicearum, & terræ fornacum quæ eiusdem naturæ sunt cum lateribus: eas scribit prurigini & papularum eruptionibus mederi: atque podagras & strumas discutere.

Petrolæum summè calidum, attenuans, penetrans, siccans ac digerens: materiam omnem frigidam è quauis corporis sede absumit, epilepsiã, Paralysim, spasmum, neruorum, articulorumque dolores lienis, renum, vesicæ, vteri frigidiores affectus soluit: hoc nõ arte sed natura prouenit, ac plerisq; locis

ex petris & rupibus emanat.

Plantius in olea.

Oleorum compositiones veteribus vsurpatas secutus author, nihil in iis immutandum putauit, nec (quod extrinsecus solùm inducantur) tanta fuit in laborantium gratiam mutandi necessitas. Ad omnium causarum affectuũq; genera, præstãtissima quæq; olea selegit ac protulit cæteris prætermissis, quæ aut parum efficacia aut superuacua videbantur. Nec enim necessarium videbatur oleum nymphæx citrinæ quòd sub altero cõprehẽdatur, nec oleũ populeũ quod efficacius eo sit vnguentum populeum: nec oleum alterum mandragoræ, nec oleum costinum, nec oleũ de piperib⁹ nec oleũ maioranæ nec irinũ cõpositũ, nec sambuchinũ, nec moschelinum, quod alia satis multa existant quibus vsu faciliore maior sit calefaciẽdi, attenuandi, digerendique facultas.

Saguyerius.

Naphtham vocat Dioscorides, & vulgus oleum Medeæ, forsan quod ignem græcanicum dictum ex eo parauit, quo incendit regiam domum & glaucam Creontis filiam viuam cremauit quam acceperat in vxorem Iason ipsa Medea repudiata. Meminit huius bituminis Monardis Hispanus Medicus in suo tractatu de medicamentis ex nouo orbe allatis, sic scribens. In Cuba inueniuntur fontes.

tes iuxta littus maris, vnde manat bitumen nigrum velut pix & grauis odoris, quo vtuntur Indi in morbis frigidis. Hispani verò eo picant naues sepum admiscendo. Veterũ naphtham esse puto, cuius duos fontes inueniri Babylone refert Posidonius, candidæ & nigræ. Eo vtimur in vteri strangulatu narib. admouentes aut pudendo indentes. Hactenus Monardis. Mathiol. autem ipsum petroleum scaturire in agro Mutinensi Italico scribit, & aliis pluribus in locis, græci dicunt στρίλαιον quod tale bitumen liquidum defluat è petris aut saxis, vnde saxeum etiã nominat idẽ Mathiolus: & per similitudinem quam habet cum oleo, dictum est oleum, cui vis est adeò ignium rapax, vt ex spacio longinquo protinus in ipsum exiliat ignis flamma: & ex ipso fit ignis Græcanicus qui vix extinguitur. Alibi tantum & nigri meminit Dioscorides: nigrũ solum profert India, & Cordus flauũ etiã proponit & nigro est tenuius, hocque nasci in agro Brunsuicensi in Saxonia ait.

Atque hactenus de oleis abunde satis disputatum, quoniam ad omnium morborum genera, præstantissima quæque olea sunt descripta à Fernelio, reiectis permultis, quæ nihil aliud quam quod alia præstant proposita, præstare cognoscuntur si quis tamen addat oleum hyperici & myrrhæ, non displicuerit, vt opinor, chirurgis. Illud fit ex floribus herbæ concisis, & oleo vel communi

vel terebinthinæ, cum aqua vitæ, & neruorum contusionibus est singulare auxilium. Oleum è myrrha fit vt mastichinum, & vlcera maligna mirè lenit.

DE VNGVENTIS.

Vnguentum Gal. refrigerans.

AD phlegmonas, erysipelata, herpetas, omnemque calidiorem, intemperiem efficax.

℞. Ceræ albæ ʒ. iiij.
Olei rosati ℔ j.

Liquata vase duplici in vas aliud transfundantur, sensimque affusa aqua frigidissima ac subinde mutata diu subigantur. Postremo autem semperuiui aut solani defœcatus succus subigendo infunditur, si præsertim ad affectus non exulceratos exposcitur, aut acetum si integra nec dum exasperata est cuticula.

Plantius. in vnguenta.

Vnguentum Galeni refrigerans tametsi descriptione vulgari nec solani nec semperuiui succum habeat, his tamen adiectis efficacissimum redditur ad omnes affectus qui refrigerari postulant.

Saguyerius.

Vnguentum vocat Homerus μύρον vnde & myropolæ dicti. i vnguentorũ venditores: Dioscorides aũt sic vocat oleũ omne cui odoramenta & alia medicam. simplicia admiscẽtur, vt de rosaceo agens, & aliis q̃ sequuntur patere potest: vulgo autem accipitur pro tenaci quadam compositione qua chirurgi vtuntur ad vulnerum curationem. Veteres vocabãt θύωμα ceu odoramentũ, quoniam talibus vtebantur in Deorum sacrificiis, θύειν est sacrificare ceu rem diuinam facere: Vnguentorum plura antiquitas habebat genera quædam enim ad delicias & luxuriam, quomodo vtebantur Persæ iasmino, atque talia vocabant χρῖσματα: alia erãt vsui athletis & iis qui in palæstris se exercebant quæ ἀλείμματα dicebantur, vnde ἀλείπτας ceu vnctores, quo nomine etiam vocantur qui luẽ veneream curant vnguine ex hydrargyro. Quicunque sit, vnguentum nobis ab vngẽdo, aut hoc ab illo deriuatur: Postremò ergò significatio faciet ad rem nostram: siquidem omnia quæ posthac describentur vnguenta, id præstant quod diximus: & primũ id quod ab effectu vocatur refrigerans, cui secundum vulgare apparatum non addũtur succi aizoi & solani, sed sine his nimis refrigerat: solanum somnificum magis est frigidum quàm hortense. Sedum primi & secundi generis eadem habent facultates, sed tertium calefacit.

Vnguentum rosaceum.

Ad eosdem quoque affectus adhibetur, at certè inefficacius.

Adeps suillus membranis expurgatus nouies lauetur aqua calida, ac deinde toties aqua frigida: postea rosarum rubrarum recent. contusarum par pondus ei misceatur, sinaturque marcescere diebus septem. fusus adeps igne lento percoletur, rursumque in eo rosarum tusarum tantundem maceretur diebus septem, effuso pariter succi rosarum dimidio & olei amygdalini partibus sex: rursum sensim coquantur dùm succus totus fuerit absorptus.

Saguyerius.

Quòd vnguentum refrigerans in omnem intemperiem calidiorem potest efficaciter, hoc, quod rosaceum dicitur, etiam potest, sed inefficacius nisi addatur aliquid opii in aqua rosacea colliquati, vt adm. net Mesues huius vnguenti author, qui hoc commendat aduersus Erysipelata, herpetas, inflammationes, atque calidiorum capitis, ventriculi & hepatis intemperiem.

Vnguentum populeum.

Phlegmonas, febrium æstus, renum capitisque ardores compescit, somnum temporibus illitum conciliat.

Gemma-

Gemmarum populi recentium lib. j. maceretur in axungiæ suillæ insulsæ præparatæ lib. iij. dùm quæ sequuntur omniæ æstate comparari possint.

℞. Foliorum papaueris rubrii.
Fol. mandragoræ.
Fol. hyosciami.
Cymarum rubi tenerrimarum.
Lactucæ.
Solani.
Semperuiui maioris & minoris.
Bardanæ.
Violæ.
Vmbilici Veneris an. ʒ. iij.

Contusa omnia permisceantur axungiæ & oculis populi: exactis diebus x. affunde aquę rosatum lib. j. Coquantur igne lento dùm aqua omnisque liquor sit absumptus: colatur, exprimaturque, ac si opus sit recoquatur dùm vnguenti temperaturam acceperit.

Saguyerius.

Nicolaus Myrepsus non vuas, vt credidit Ruellius Suessionensis, sed germina Vere primo prodeuntia admiscet, quæ noster Fernelius gemmas à similitudine, & vulgus oculos nuncupat. Sunt enim ea odorata & ceræ modo viscosa. Cæterùm absurdum nunc est, quod Cordus ait vmbilicum Veneris, cuius duæ sunt species, perquàm paucis esse cognitũ, siquidem senen-

ſes Itali id maximè nouerunt, ſi credimus Matthiolo, qui à vulgo ipſi nomen inditum ſcribit à foliis quæ opercula vaſorum fictilia referunt. Vidi ego Monſpelii in hortis qui ſunt extra vrbem: neſcio autem qua lingua vocetur hæc herba ſcatunecllum vt annotat Cordus.

Vnguentum album.

Refrigerans ac leuiter adſtringens, inflammationes exuſtionesq; compeſcit, ſcabiei & pruritus ardorem, omneſque bilioſas eruptiones reſtinguit.

℞. ceruſæ ʒ.iiij.
Lithargyri ʒ ij.

Lauentur diu in aqua roſarum, qua ejecta mortario excipiantur, ſenſimque oleum affundatur roſaceum quantum combibere poſſint, continenter agitando atque ſubigendo dùm bona ſit vnguenti conſiſtentia: addatur ſub finem aceti albi pauxillum & caphuræ ʒ jß.

Plantius.

Vnguentum album quale hic deſcriptum eſt, vnum erit vice eorum quæ inſcribuntur, vnguentum de Lithargyro, vnguentum nutritum, vnguentum de ceruſa coctum, quod & emplaſtrum de ceruſa appellatur: eorum enim vires hoc vnum complectitur.

Sagu-

Saguyerius.

Album ſimpliciter dictum & Caphuratum habent vulgaria diſpenſaria, priori additur cera albiſſima ad ʒ. vj. aut circiter, alteri ad ʒ. iij. tantùm: & alia etiam diuerſo modo miſcentur: & à colore vtrumque nomen habet, ſed poſterius à Caphura dicitur Caphuratum, ſcuti & quod propoſuimus poteſt dici quo vtemur eius vice cui Lithargyrus nomen dedit, item & nutritum & alia.

Vnguentum aſtringens.

Laxiores partes contrahit, ductus viaſque coarctat, fluxiones intercipit atque repellit, vuluæ, vteri, ſedis, inteſtinique prolapſum cohibet, & profluentem ſanguinem admotum ſiſtit.

℞. gallæ immaturæ.
Nucum cupreſſi.
Baccarum myrti.
Balauſtiorum.
Malicorii.
Cort. glandium.
Acaciæ.
Rhois
Maſtiches an. ʒ.j.

Omnia exquiſitiſſimè trita macerentur dies circiter quatuor in ſuccis meſpilorum & ſorborum immaturorum, deinde

ſiccentur igni non acri, & cum olei roſati ſæpius in aqua aluminoſa loti lib j. ß. & cerę albæ ʒ. i iij. fiat vnguentum.

Plantius.

Vnguẽtum hoc adſtringens quod validiſſimum ſit ac paratu facile, vſurpandum erit pro vnguento Comitiſſæ. & alio quouis adſtringente.

Saguyerius.

Ab effectu aſtringens dicitur, & pro vnguento Comitiſſæ Guilel. Varignanæ vſurpabitur commodiſſimè, licet hoc longe plura quàm illud accipiat ſtyptica: non enim numerus medicamentorum ſolus vim tribuit compoſito, ſed facultas & qualitas: Cùm ergo ſint maximè aſtringentia quæ hoc cõponunt vnguentum, pro omni aſtringente in vſum vocabitur: laxiores partes contrahit & vias coarctat per quas humor ſolet fluere multorum morborum cauſa.

Balauſtium quod eſt flos ſylueſtris mali punicæ ceu granatæ magis aſtringit quàm cytinus, qui eſt flos ſatiuæ. Malicorium eſt immaturus mali eiuſdem cortex, quo vtebantur veteres ad perficienda coria, barbarè pſidium, & aliqui ait Dioſc. vocant ſidion.

Vnguentum

Vnguentum Diachalciteos ceu palmeum.

Omnes recentes fluxiones ſiſtit, veteresque reſoluit, vlcera maligna & dyſepulotica glutinat.

℞. adipis ſuilli recentis ſine ſale & fibris ℔. ij.
Olei veteris.
Lithargyri triti & creti an. ℔. iij.
Chalcitidos læuigatæ ʒ iiij.

Adeps & oleum liquantur prunis non acribus, iiſque inſperguntur dithargyros & chalcitis, mouenturque continenter trib. palmæ ſaltẽ myrti, ſorbi, aut meſpiliue ramis recentibus: vbi cerati craſſities erit, inter coquendum ramus tenellus minutim conciſus iniicietur: rurſumque coquetur donec digitos non inquient, veramque emplaſtri temperaturam ſit aſſequutum.

Plantius.

Vnguentum Diachalciteos ex hac Galeni deſcriptione vſurpandum eſt vice eorum quatuor quæ à Meſue traduntur, duo ſub deſcriptione vnguenti Diaphœnicon, aliaque duo ſub deſcriptione vnguenti palmei.

Saguyerius.

A Chalcide hoc emplaſtrũ nominat Gal. & ſeplaſiarii ab ingrediente palmæ videlicet

trunco, vt parabant antiqui medici, vnde & vulgò vocatur Diapalma, licet ramis palmæ nec agitetur, nec componatur. Palmam autem acerbam & stringen tẽ esse norunt Medici vt & myrtum, mespil ũ atque sorbũ, quibus vt succedaneis palmæ vtuntur Pharmacopœi. Cæterùm plura genera describit Mesues, quorum aliqua vocat nomine græco ἀλφὶ φοινικῶν ceu ex palmis, alia latinè vocat palmea ob rationem supradictam. Omnes recentes fluxiones sistit, veteresque resoluit, est enim mixtarum virium, vt docent quæ ipsum ingredi untur, atque vlcera maligna & quæ difficilè ad cicatricẽ pdueũtur, glutinat.

Vnguentum Diapompholygos.

Refrigerat, astringit, fluxiones inhibet, & vlcera caua implet, maligna ad cicatricem p erducit.

℞. Olei rosacei ʒ.x.
Succi solatri ʒ.iiij.
Bulliant ad succi consumptionem:
Adde cere albæ ʒ.v. Ceruſæ ʒ.ij.
Plumbi vsti & loti.
Pompholygis.
Thuris an. ʒ.j.
Coquantur in vnguenti formam.

Saguyerius.

πομφόλυξ apud græcos denotat bullam quæ nascitur ex aqua dum pluit: & apud Gal. significat fauillam è cadmia vsta sublatam in cameræ metallicæ partem superiorem

rem: eius loco sumunt nostræ officinæ Arabum vocatam tuthiam, quã existimat Matthiol. esse cadmiã botryitẽ ceu racemosam. Solanum vocant barbari solatrum & vuam lupinam, vt tuthiam officinarum dicunt. Nil album, vnde prouerbiũ quo dicitur nil prodesse oculis, quoniã ad oculorum fluxiones est efficacissima, vt me sæpenùmero docuit experientia.

Vnguentum rubrum exsiccans.

℞. Ol. ros. ib. j.
Ceræ albæ ʒ.v.
Liquatis insperge Lapidis calaminaris. Terræ Lemniæ exquisitè tritorum an. ʒ iiij.
Lithargyri, Ceruſæ an. ʒ iij.
Caphuræ ʒ.j.
Coquantur in vnguentum.

Saguyerius.

Lapis calaminaris officinarum est cadmia naturalis, quæ etiã lapidosa vocatur à Galeno lib. 9. simpl. Cadmiæ proprium est astringere, caua implere, sordes expurgare, exsiccare, & quæ excrescunt in carne coercere, & maligna vlcera cicatrice obtegere. Terra sigillata, Lithargyrus & ceruſa etiam desiccant maximè nec non & caphura. Recte igitur desiccatiuum rubrum vulgò vocatur hoc vnguentum.

Vnguentum Dialthæas.

Modicè calefacit, emollit, humectat atque lenit.

℞. altheæ radicum recent. & contus. lib. j.
Seminis lini &
Fœnogreci contusorum an. lib. j. macerentur in aquæ lib. viij. dein leuiter coquãtur exprimaturq; mucilago. De hac lib. ij. & olei lib. iiij. pariter bulliant dùm mucilago sit absumpta, ac tùm adde ceræ lib. ß. resinæ tantundem, terebinthinæ ʒ ij. percoquantur in vnguenti crasitiem.

Plantius.

Vnguentum dialthæas simplex descriptum est, quòd compositum propter colophonium & galbanum, & gummi hederæ sordidum nimis esset, aliaque extarent ad digerendum efficaciora.

Saguyerius.

Althæam dicunt latini bismaluam, & est in sylueſtrinum maluarum genere: Ἀλθαία autem græcis idem sonat atque medeor. vnde herba ipsa dici posset simpliciter medica: ipsam. n. ad multa vtilẽ noueruntMedici: à qua etiam nomen habet hoc vnguentum familiare & domesticum quoties calefacere moderatè emollire, humectare & lenire est propositum: eius actionem iuuãt semina lini & fœnigreci: estque hoc vnguentum ex iis quæ vocant Chirurgi quatuor calida maiora, licet multò minus calefaciat quàm alia tria, quæ sunt Agrippæ, Aregen & Martiatum magnum. Nicolaus præpositus duplex describit, simplex videlicet & compositum: illud verò tantùm proposuit Fernelius, quòd compositum sordida quædam contineat, vt galbanum, gummi Hederæ, & Colophoniam resinam, nonnullaque alia nimium digerentia vt scillam vel pancratium.

Vnguentum resumptiuum.

Huic etiam summa vis inest emolliendi blandè & sine manifesto calore Asthmaticis, hecticis, tabidis, pleuriticis atque febricitãtibus tutò adhiberi potest.

℞. Seminis lini.
Althææ.
Et fœnigræci.
Gummi arabici.
Tragacanthæ an. ʒ ij.
Macerentur & bulliant in ℔ b. ß.
aquæ rosarum.
Eliciatur mucilago.
In qua dissolue.
Adipis suilli.
Gallinæ.
Anseris & anatis an. ʒ ii.
œsypi ʒ. ß.

Olei violarum.
Chamæmeli & amygdal.dul.an. ʒ.ij.
Medullæ vituli.
Butyri recent.ceræ albæ an. lib.ß.
Coquantur in vnguentum.

Plantius.

Vnguentum hoc,quod resumptiuum inscribitur,ea est compositione vt cæteris quæ ad emolliendum, leniendũ, aut relaxandũ composita sunt,iure præferendum sit. Nam neque vnguentum Diadipibus, neque vnguentum pectorale geminum atque vnguẽtum philagrii, neque vllum vsquam ad emolliendum & ad eos quos dixi effectus præstantius.

Saguyerius.

Ἀναλημπτικὸν vocant græci,quod latini resumptiuum, quoniam eius vsu reficiantur summè extenuati, est enim emolliens blandè & citra calorem manifestum, & locum habet inter suppurantia. Cordus nobis vnguentum proponit dictum pectorale, licet & aliis partibus conferri cognoscatur, quod non est adeò efficax atque resumptiuum, vt neque illud cui adipes nomen dederunt, ex quib. etiam componitur hoc nostrum: frustra igitur describerentur. Oesypum vocant barbari hyssopum humidam, sed ignoranter nimium.

Vn-

Vnguentum Agrippæ.

Non modò emollit,sed & validè attenuat & incidit,corporisque oedemata discutit, & vetera neruorum vitia sanat,renum dolori succurrit,ventrem illitu subducit, & hydropicos iuuat.

℞.rad.bryoniæ lib ij.
Rad.cucumeris agrestis lib.j.
Scyllæ lib.ß.
Rad.ireos recentis ʒ.iij.
Rad.filicis &
Ebuli.
Tribuli marini an.ʒ.ij.

Tusa omnia recentia macerentur diebus sex vel octo in olei veteris non rancidi lib.iiij.parùm deinde feruefiãt,& in expresso oleo ceræ citrinæ ʒ xv.liquefiant in vnguenti crassitiem.

Plantius.

In vnguento Agrippæ rectè monet simplicia omnia recentia sumenda esse, nec admodum esse coquenda : His enim crudis tametsi vis inest molliendi & attenuandi, validissima coctione tamen perit atque disperditur. Vndè alio loco rectè præcepit author ad scirrhos emolliendos ex hisce radicibus contusis atq; crudis addita axungia & cera cataplasma confici inprimis efficax.

Saguyerius.

Quis fuerit hic rex Agrippa,qui nomen

dedit huic vnguento ingenuè fateor me nescire. Abryon. pōt nōinari vnguētū bryonię quoniā ea primas tenet in eo. & multū valet ad pręstandum id quod medicamentū pollicetur. eius enim radix quæ hic præscribitur tenuiū est partium & moderato calore abstergit atque siccat, vndè fit vt numeretur inter emollientia, relaxantia & rarefacientia, sicuti & alia quæ hoc vnguentum componunt, inter quæ postremum locum non obtinēt radices filicis siue masculæ siue fœminæ. Item ebuli & tribuli, quas tamen tres omisit Nicol. Alexandrinus teste Cordo: filix amara est cum pauca astrictione, & desiccat citra mordacitatem: radix ebuli inueteratis tumoribus prodest & concretos dissoluit. Tribuli autem marini, qui Venetiis veneunt multi in foro, aqueum quid possident cum calore & acrimonia, propter qualitatē aquæ maris, quæ ad fotus adhibita calefacta elicit & discutit. Aquaticū vidi sæpe in Burgundia extractū è stagnis, cuius fructū in aquacoctū comedebāt vulgares quasi castaneas, alii verò sub cinerib. calidis decoquebant. Habet autem Nicol. præpositus aquaticos tribulos non marinos vt Fernelius, sed hic melius quàm ille: siquidem huius vnguenti munus est emollire, attenuare &c. ventrem etiam illitu subducere, quemadmodum dictum est suprà de vnguento è lathyride, ad quam rem marini tribuli sunt aqua-

aquaticis efficaciores: qui si non sint in prōptu, lauandi & macerandi erūnt fluuiatiles aqua salsa. Cæterum obseruatione dignum est quod scribit Plantius ex Fernelio & Cordo, radices videlicet & tribulos recentes esse debere: & parùm coquendas, ne vis coctione deperdatur, sic idē Fernelius lib. vj. cap vj. radices bryoniæ & cucumeris agrestis crudas præscribit in cataplasmate emolliente.

Vnguentum Aregon ceu auxiliare.

Calefacit, valdè extenuat atque digerit, corporis præsertimque neruorum frigidis affectibus, conuulsioni, resolutioni, Lumborum, articulorum, colicoque dolori aptum.

℞ roris mar.
Maioranæ.
Rad. iari.
Serpilli.
Rutæ.
Rad. cucumeris agrestis an. ʒ. iiij. ß.
Foliorum lauri.
Saluiæ.
Sabinæ.
Pulicariæ maioris &
Minoris.
Rad. bryoniæ an. ʒ. iij.
Laureolæ ʒ. ix. fol.
Cucumeris agrestis &
Nepithæ an. lib ß.
Omnia Maio mense collecta & ex-

purgata tunduntur recentia & macerentur dieb. septemin olei optimi lib. vj. affusa aqua vitæ ad lib. j. deinde coquùntur dum contabescant & absumpta sit aqua, oleum percolatur in quo ceræ ʒ xvj. liquantur,

Adipis vrsini.
Olei laurini an. ʒ. iij.
Olei moschelini ʒ ß.
Petrolei ʒ j.
Butyri ʒ. iij.

Agitando hi pulueres inspergũtur, mastiches, olibani an. ʒ. vij.

Pyrethri.
Euphorbii.
Zinziberis.
Piperis an. ʒ j.

Omnia vnguenti formam coeant.

Saguyerius.

Per excellentiam dicitur hoc vnguentum arogon à verbo ἀρωγέω quod idem significat atque Βοηθέω. j. auxiliari: Ipsum enim iuuat mirum in modũ eos qui morbis grauissimis torquentur, quales sunt Spasmus, paralysis, colicus dolor a frigore & flatibus. Ineptè ergò vocatur Arogon & ridiculus erat ille pallio tenus Medicus qui ab Arragonia Hispanico regno sic dictum asseuerabat. Cæterum dùm Olibani meminit noster author, sequitur vt plerumq; communem errorem quem supra notauimus prouenire ab igno-

ignorãtia linguæ græcæ quæ thus τὸν λίβανον vocat, & nominatiuo adiungit articulum ὁ, quem seruat in reliquis casibus, sed hoc est puerile.

Vnguentum Martiatum magnum.

Cerebri, neruorum articulorumque frigidis affectibus, tremori, conuulsiom, paralysi, arthritidi inprimis vtile: præduris tumoribus lienis præsertim emolliendis efficax.

℞. ceræ. albæ lib. j.
Olei lib. iiij.
Rorismarini.
Fol lauri an. ʒ. iiij.
Tamarisci ʒ iij.
Rutæ ʒ. iij. ß.
Ebuli.
Sabinæ.
Balsamitæ id est mentæ aquaticæ.
Ocimi.
Saluiæ.
Polii.
Calaminthes.
Artemisiæ.
Helenii.
Betonicæ.
Acanthi quæ est branca vrsina.
Aspargulæ quæ est aparine.
Anemones quæ herba venti dicitur.

Pimpinellæ.
Agrimonii.
Absinth.
Phlomi minoris qui & herba paralysis.
Costi herbę hortensis, quæ herba dicitur sanctæ Mariæ.
Cymarum sambuci.
Semperuiui minoris quod crassula appellatur.
Millefolii.
Semperuiui maioris.
Chamædryos.
Plantaginis seu quinque nereiæ.
Centaurii minoris.
Fragariæ.
Quinquefolii.
Tetrahit, id est, herbæ Iudaicæ an. ʒ. ij. ʒ. ij.
Rad. althææ.
Cumini.
Myrrhæ an. ʒ. jß.
Fœnigræci ʒ vj.
Butyri ʒ. v.
Seminis vrticæ.
Violarum &
Papaueris rubri.
Mentastri seu mentæ agrestis.
Mentæ satiuæ.
Oxylapati.

Poly-

Polytrici.
Cardiobotani, id est, cardui benedicti.
Periclymeni id est caprifolii seu matris syluæ.
Maratri.
Herbæ moschatæ quæ est prima geranii species.
Trifolii acetosi quod alleluya dicitur.
Scolopendrii quod est ceterach.
Crispulæ id est buphthalmi.
Caphuratæ herbæ, id est abrotoni.
Styracis.
Medullæ ceruinæ an. ʒ. ij.
Olei nardini ʒ. j.
Herbæ ad finem Maii mensis collectæ recentes terantur, macerenturque diebus septem in vino optimo odorato, octauo die coquantur simul dum vinum ex dimidio absumptum sit, ac tum oleum affunditur. Rursum coquantur dum herbæ contabescant & vinum prorsus sit absumptum. deinde colatur & exprimitur oleum, in quo rursus cõcalefacto styrax, butyrum, adipes, mastiche, thus, oleum nardinum & cera quo dixi ordine adiiciuntur, cumque dissoluta fuerint agitatione continenti subtrahantur igni, & concretum vnguentum recondatur.

Plantius.

Vnguẽti martiati tres apud quosdam traduntur descriptiones non admodum quidem necessariæ ad frigidos neruorum aliarumque partium affectus, cùm ad hos abũdè faciat vnguentum aregum nunc descriptum. At vero qui Martiatũ hoc habere velit, descriptionem hanc sequatur ex. Nicol. Mirepso depromptam atque reformatam.

Saguyerius.

Hoc vnguentum trifariam describitur in dispensariis vulgaribus, primum est Nicol. Præpositi, alterum quod magnum cognominatur & ad Nicol. Alexandr. refertur sicut & paruum, quæ tria non differunt nisi secundum magis & minus, & proinde vnum pro omnibus satis est. Vocat Cordus Martianum, non verò martiatum, & multis vtitur dictionibus barbaris, quas explicuit noster author, in hoc dissentiens à Cordo & Nicol Alexandro quòd pro myrtho myrrham præscripserit secundum Nicol Præpositum: & author luminaris maioris habet pro cumino & myrtho, cymarum myrthi. Certè adeò confusa est huius vnguenti descriptio, & tot contexta simplicibus vt farrago potius quàm compositio sit nominanda: sed is fuit animus nostris maioribus ab eo tempore quo nouerunt Arabum decreta, vt pluralitate medicamentum, etiam eiusdem facultatis, summoperè sint delectati: quos etiam non pauci ad hunc vsque diem sequuntur existimantes eum Medicum non esse qui multa Pharmaca in vnum non congerit, nec eum Pharmacopœi nomine dignum iudicant qui plures pyxides non habet in sua officina.

Vnguentum Basilicum minus.

Calefacit, humectat, dolorem mitigat, ac pus mouet, phlegmonis increscentibus vtile.

℞. resinæ.
Picis.
Ceræ an. lib. ß.
Olei quod satis est.

Basilicum maius.

Eadem præstat & detergendis quoque & implendis vlceribus idoneum.

℞. ceræ albæ.
Resinæ.
Seui vaccini.
Picis.
Terebinthinæ.
Olibani.
Myrrhæ an. ℥. j.
Olei quod satis est.

Plantius.

In vnguento basilico, aureo, Apostolorum,

Ægyptiaco & enulato nihil immutandum putauit: in vnguento citrino simplicium doses admodùm incertas atque deprauatas reformauit, atque plus inesse voluit radicis dracuntii (cuius ad propositos cutis affectus summa vis est) quàm ceruſæ aut alterius cuiusuis simplicis. In componendi quoque ratione certum modum expressit adiiciendorum Citriorũ malorum, quorũ pulpa atq; succus ad ea cutis vitia nõ minus vtilis, imò etiam vtilior quàm cortex habetur.

Saguyerius.

τὸ βασίλικον, significat regium, sic autem placuit authori huius vocare hanc compositionem, quòd præstantissima sit in pure mouendo dum inflammatio est vigori vicina. humectat enim & calefacit moderatè. Maius autem etiam deterget & vlcera implet. Minus vocant græci πεντάφαρμακον, quoniam quatuor perficiatur. Huic in digerendo sclopetica vulnera primas tribuit Ioubertus.

Vnguentum aureum.

Vulnera leniter detergit, glutinat ac tutò curat.

℞. ceræ citrinæ lib. ß.
Olei non rancidi lib. ij. ß.
Terebenthinæ ʒ. ij.
Resinæ.
Colophoniæ an. ʒ. j ß.
Thuris,

Thuris.
Mastiches an ʒ j.
Croci ʒ. j.
Cera ex oleo liquatur, adiiciunturq; reliqua exquisitè trita.

Saguyerius.

Aurum colore vtcunque refert, vndè forsitan dictum est aureum, detergit, glutinat ac tutò curat quod non parui facere debent Chirurgi: inter sarcotica vulgò numeratur, est tamen & detergens, accipit enim resinas quæ detergendi facultate sunt præditæ, thus autem & mastiche glutinandi.

Vnguentum Apostolorum.

Vulnera & vlcera contumacia, itemque fistulas detergendo expurgat, fungosam aut mortuam carnẽ absumit & nouam restituit.

℞. Terebinthinæ.
Ceræ albæ.
Ammoniaci an. ʒ. xiiij.
Opopanacis.
Floris æris an ʒ. ij.
Aristolochiæ rotundæ.
Thuris masculi.
Bdellii an. ʒ. vi.
Myrrhæ.
Galbani an. ʒ. ß.
Lithargyri ʒ ix.
Olei si æstas fuerit lib. ij.

Si hyems lib.iij.
Bdellium.
Ammoniacum,

Oppopanax & galbanum aceto macerata atque soluta cum cæteris tritis in oleum & ceram liquefacta coniiciuntur, coquunturque agitando in vnguenti formã.

Plantius.

A numero duodenario quo continebantur Apostoli Christi vocatum puto Apostolicum aut Apostolorum: à colore autem dici posset viride, talem verò colorem acquirit ab æris flore aut eo quod ęruginem vulgo nuncupant, cuius Monspelii magno comparatur copia singulis annis, & vocatur Verdet. j. ęris viride, quandoquidem scribit Matthiolus in Dioscoridem ἄνθος χαλκοῦ ceu florem æris non repetiri in officinis. Vlcera contumacia terget hoc vnguentum & fistulosa expurgat, fungosamque & superfluam carnem absumit, sed non sine dolore, vt norunt qui Veneri impurè sacrificarunt, quoniam cancro dicto laborat penis. Numeratur inter detergentia.

Vnguentum Ægyptiacum

Multò validius quàm Apostolorum vlcera vetera atque fistulosa extergit excrescentem aut emortuam carnem vehementer exsiccat & exedit non sine sensu doloris.

℞.

℞. æruginis ʒ. v.
Mellis optimi ʒ. xiiij.
Aceti forsis ʒ. vij.

Coquantur simul omoia dum vnguento sua crassities & purpureus color accedat.

Saguyerius.

Hoc vnguentum præcedenti est longe efficatius quoniã in maiori quantitate accipit æruginem & acetum cum melle. Commendatur maximè in vulneribus sclopetariis cum est suspitio gangrenæ, & tunc nonnulli chirurgi augent æruginis quantitatem, vitriolum & alumen rochæ addentes atque ipsum cum opus est in vino aut aqua vitæ soluunt vt commodius iniiciatur per syringuam.

Vnguentum ex Enula.

Ad pruritum, ad scabiem tùm siccam tùm humidam, & ad alias cutis fœditates mirè efficax.

℞. R ad. enulæ ex aceto coctę, tusæ & cretæ ℔. j.
Axungiæ porci.
Olei an. ʒ. iij.
Ceræ nouæ ʒ. j.
Argenti viui extincti.
Terebinthinæ lotæ an ʒ. ij.
Salis vulgaris bene triti ʒ. ß.

Cera & axungia ex oleo liquantur, his addi-

tur emula, deinde argentum viuum & sal, postremo terebinthina. Tutior eius fuerit vsus, si vice argenti viui imponatur succi fumariæ & limonum an. ʒ.j. Vrumque igitur sorsum habendum est.

Saguyerius.

Ennlam deriuatam esse ab helenio nullus dubitat. Hoc vero commendatur Galeno in partium frigidis affectibus. attrahit enim suo calore satis valido, & in aceto coctum validius penetrãdo suas vires exerit per partium aceti tenuitatem, vndè fit vt hoc vnguentum maximè iuuet scabiosos, vt docet experientia. Obseruandum etiam sine argẽto viuo, quod hydrargyrium, id est, aqueum argentum vocant græci, parari posse, vt nos admonuit Fernelius talis medicamenti in lue venerea curanda iuratus hostis. Itaque cum eo & sine eo paratum asseruabũt Pharmacopœi vt hoc in humida scabie & extra neruosas partes vtãtur, illo in sicca & mẽbranosis partibus, necnon etiam in articulis & ossibus.

Vnguentum citrinum aut citreum.

Populus ex bile aut salsa pituita in cute præsertimque faciei erumpentes reprimit lentigines, impetigines, liuores, fœdas cicatrices & oculorum rubores extergit.

℞. Boracis ʒ ij.

Caphuræ ʒ.j.
Corallii albi ʒ ß.
Amianti, id est aluminis plumosi.
Vmbilici marini seu beiirici.
Tragacanthæ.
Amyli.
Crystalli.
Enthali. Dentali.
Thuris albi.
Nitri an. ʒ.ij.
Ceruſæ ex radice dracuntii factæ ʒ.j.
Ceruſæ vulgaris ʒ vj.
Adipis suillæ recentis salis expertis & puri ℔.j ß.
Seni Caprini ʒ jß.
Adipis Gallinacei ʒ j.

Adipes in duplici vase liquefiant, in iis macerentur & leniter coquantur citria mala duo minutim concisa. Adipes colentur, in hisque trita omnia laborioſe iniiciantur & rudicula subigantur. Coctum vnguentum ac deinde concretum recondatur.

Saguyerius.

Ad Nicol. refertur & à citreis nomen sumsit vndè Citreum melius quàm citrinum vocari dixit Fernelius: quoniam hoc postremum coloris notam tantum præ se fert: Borax autem vox est Hispanica & Germanica borass, Græcis χρυσοκολλα quasi auri glutinũ, Arabib. tincar. Eã faciunt duplicem natiuã ceu terream videlicet & factitiam ex v-

rina pueri digerunt & desiccant, sed maximè natiua quę etiam carnem liquat. Factitia autem est aptissimum medicamentum vlceribus contumacibus ex Gal. 9. simpl. & alibi. Amiantum ceu alumen plumosum officinarum præscribit Fernelius. Cordus autem ex Nicol. habet amiãtum dulce, quod interpretatur gypsum in venas capellatas scissum. Aluminis omne genus vim habere expurgandi testatur Dioscorides, vnde putrescentia vlcera compescit & lepris conuenit, Rectè itaque huic vnguento admiscetur. gypsum autem est emplasticum. Vmbilicus marinus inuenitur in littore maris similis vtcunque vmbilico humano vndè nomen sumpsit, & fabam magnam quantitate refert. desiccat igitur duplici ratione videlicet, quòd sit lapilli duritia & maris salsugine conspersus.

Entalium & dentalium sunt concharum species quæ iuxta mare inueniuntur: illud est fistulæ modo longum & concauum, foris strictum digiti parui longitudine: Dentaliũ verò rimam habet dentatam, vnde nomen. sunt etiam naturæ exsiccãtis. Pro nitro quod legitimum deficit, vsurpatur sal petræ vocatum ceu sal nitrum quod aliquas habere nitri facultates nemo negare potest.

Gersam barbarum nomen interpretatur Fernelius Cerusam quæ fit ex radice Dracuntii vel ari per infusionem in aqua rosacea vt norunt seplasiarii, & quam laudant ad cutem

tem splendidam reddendam. Alteram etiam Cerusam continet hoc vnguentum, quæ est factitia, sed non vt superior, si quidem fit ex lamina plũbi eo modo quem docet Dioscorides & quem Venetiis sequuntur multi, sicut & in Italia ad vsum seplasiariorum & pictorum.

DE EMPLASTRIS.

Emplastrum Diachylon simplex.

Iecoris, lienis, externarumque partium præduros tumores, incipientesque scirrhos emollit, sensimque dissipat.

℞ Mucilaginum, seminis fœnigræci,
Seminis lini.
Et rad. althææ an. ℔ j.
Olei veteris puri ℔ iij.
Lithargyri purgati atque triti ℔ j. ß.

Lithargyrum in mortario sensim oleo diluatur dum exquisita sit permistio: igni deinde lento coquantur spatha assiduò subigendo dùm crassescant. ac tùm his paulatim infundantur depromptæ mucilagines, percoquãturque in emplastri substantiam. Si valentius desideratur in singulas libras singulæ vncię radicis iridis tritæ inspergentur.

Saguyerius.

Διάχυλων ceu ex succis vulgò circumferuntur quatuor genera, simplex videlicet,

compositum, magnum & paruum, quæ omnia molliunt & maturant apostemata. noster verò Fernelius descripsit tantùm simplex & magnum vt si esset minus moliendũ & digerendũ, simplici vteremur, sin magis, magno, quod filius zachariæ proposuit: Et nihilominus. Iridis radix addatur simplici, erit efficacius, & tale vocant officinæ Ireatũ: est enim talis radix emolliens, ita vt foris imposita lienem extenuet, vndè fit vt malagmatis & acopis misceatur commodè. Si quis autem ethymon emplastri requirat, intelliget ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν deductum, quod subigere & versando mollire significat, aut spiramenta obstruere. Particulari autem significatione vulgò significat vnguentum durius & quod extendi potest.

Emplastrum Diachylon magnum.

Huic emplastro vis ad omnia quæ dixi quàm simplici præstantior est, propterea q̃ ex pluribus tùm mollientibus tùm digerentibus constet.

℞. Lithargyri puri, triti & creti ℔.j.
Olei irini.
Chamæmelini.
Anethini an. ʒ.viij.
Mucaginum semis lini.
Fœnigræci.
Ficuum pinguium & vuarum passarum.

Succi

Succi iridis & scyllæ.
Oesypi.
Ichthyocollæ an. ʒ.xij. ß.
Terebinthinæ ʒ.iij,
Resinæ pini,
Cerebri citrinæ an ʒ.ij.

Omnia in emplastra redigantur eadem arte quæ in simplici diximus.

Saguyerius.

Barbari vocant pinguedinem lanarum succidarum hyssopum Humidum ignorantes quantum differant œsypus & Hyssopus herba: Dicitur autem œsypus quasi τῶν ὄϊων ῥύπος .i. ouium sordes: de quibus legi potest Dioscorides lib. 2. cap. 67. Ichthyocollam ceu gluten piscium. Vocant Arabes gluten alchanach: & totum Emplastrum cerati nomen debet habere, quoniam ceram capiat. Et nihilominus præcedens sine cera solidũ & durum redditur per lithargyrum, quæ multis emplastris est basis & fundamentum.

Emplastrum è Mucilaginibus.

Præduros quoque tumores validè mollit ac digerit, abscessus quoque maturat. eorumque ruptorum saniem ac pus abstergit.

℞. Mucaginum seminis lini.
Althææ.
Fœnigræci.

Et Mediani corticis vlmi an ʒ.iiij. ß.
Oleorum chamæmeli.
Liliorum.
Et anethi an ʒ.j.
Ammoniaci.
Galbani
Oppopanacis.
Sagapeni an ʒ.ß.
Croci ʒ ij.
Terebinthinæ ʒ.ij.
Ceræ nouæ ʒ xx.

Fiat emplastrum arte iam præscripta.

Plantius in emplastra

Multa quidem ad emolliendum emplastra veteres descripserunt, & ex his quatuor sub nomine diachylon, quorum duo hæc tamen præstantissima sunt. Sed & hoc emplastrum è mucilaginibus multò ad omnia potentius existit quàm quod Zachariæ filio adscribitur, quod proinde minime describendum fuit.

Saguyerius.

Magna quantitas mucaginum huic emplastro nomen dedit, mucilagines autem dicuntur per similitudinē, Viscositates extractæ frequenti agitatione eorum, quæ lentoris aliquid continent: Muccus enim propriè denotat humorem à naribus profluentem.

tem. Est vero hoc emplastrum in molliendo efficacissimum, excalefacit enim, soluit & colliquat concreta atque obdurescentia.

Cortex vlmi exterior est subamarus & astrictorius, sed interior seu medius inter illum & truncum arboris subtilior est & ad molliendum aptior. Quod ad Ammoniacum & similia attinet, malactica sunt omnino si sunt recentia, alioqui dissipant magis quàm emolliunt. Vetusta igitur vt pristinum & naturalem molliendi vigorem recuperēt, oleo pingui soluentur. Et hoc emplastrum norunt Medici absessus maturare, atque eorum dum adest suppuratio saniem & pus detergere per terebinthinam aliis permixtā: Ego vtor eo fœliciter in maturandis strumis & detergendis addito succo Nicotianæ maioris, dissolui poterit cum oleo communi ad suppurandum.

Emplastrum è meliloto.

Strenuè quoque emollit ac digerit, dolores que lenit, accommodatum ventriculi, iecoris atque lienis præduris tumoribus, tensisque hypochondriis.

℞. Meliloti ʒ.vj.
Florum chamæmeli.
Seminis fœnigræci.
Rad. althææ.
Baccarum lauri.
Absinthii.

Samſpuchi an. ʒ iij.
Cardamomi.
Cyperi.
Ireos.
Spicæ nardi.
Ammios.
Caſſiæ ligneæ.
Seminis apii.
Aniſi an. ʒ.ij. ß.
Ammoniaci ʒ.x.
Styracis.
Bdellii an. ʒ.v.
Terebinthinæ ʒ.j. ß.
Ficus pingues xij.
Seui hircini.
Reſinæ an. ʒ.ij. ß.
Ceræ ʒ.vj.
Olei maioranæ
Et nardini. an.

Quantum ſufficit, fiat emplaſtrum. Seuum hircinum, reſina & cera in oleis liquentur, his ficus pingues tritæ & cretæ addantur, deinde ammoniacum & bdellium aceto ſoluta, poſtea terebinthina, poſtremò reliquorum pulueres creti.

Plantius.

Emplaſtrum è meliloto, è baccis lauri, ceroneum & oxycroceum ſatis quidem eſſe videbuntur ad omnes affectus & dolores qui digeri, reſoluique poſtulant, vt idcirco non opus

opus fuerit aliis, neque emplaſtro è ſinapi, neque emplaſtris variis è fermento, neque emplaſtro de alliis, neq; emplaſtro relato ad ariſtarchum.

Saguyerius.

Relicta Medicis herbariis de melilo to domeſtica & agreſti: atque de loto vrbana diſputatione, dicemus eam herbam quam pro meliloto vſurpant officinæ, commodè, miſceri huic emplaſtro, quòd vim digerendi habeat & molliendi. Eſt enim calida moderate & ſatis benè odorata. Oleorum certum pondus tacet Fernelius: At Cordus admonet cuiuſque olei ſumi poſſe circiter ʒ. vj. aut viij. hoc emplaſtrum corroborat partes oſſeas & neruoſas.

Emplaſtrum è baccis Lauri.

Ventriculi, præcordiorum, inteſtinorum, vteri ac veſicæ, aliarumque partium dolores à flatibus aut à frigida quauis cauſa ſubortos mirè demulcet.

℞. Thuris,
Maſtichès,
Myrrhæ an ʒ.j.
Baccarum lauri. ʒ.ij.
Cyperi, coſti an. ʒ. ß.

Mellis colati quantum ſufficit ad omnia cogenda. Id putant ad hydropem mirabile reddi ſi pondus cyperi ſit ʒ. jß. & caprinum ſtercus arefactum addatur pondere ℔. ß.

Saguyerius.

Nemo nescit quantum valeant lauri baccæ ad calefaciendum & discutiendos flatus. Sciunt etiam Medici ex Dioscoride cyperum Indicum : quem curcumam dicunt officinæ, misceri depilatoriis quibusdam medicamentis, quoniã acris est admodũ præcipuè siccatum, nam in recenti per humiditatem obtunditur acrimonia eius. Caprinum stercus etiam acre est & digerentis facultatis adeò vt induratis tumoribus in modum scirrhi conueniat authore Gal. & subscribente experientia. non est igitur mirum si reddat hoc emplastrum hydropicorum aquis extrahendis per madorem aut sudorem accommodatum: Nos tamen admonet Gal. vt eo vtamur solum in iis qui dura sunt carne.

Emplastrum Ceroneum.

Lienis duritiem mollit, hydropi & frigidis vteri affectibus, thoracis, scapularumque doloribus à frigore ortis succurrit.

℞. Picis nauales colatæ,
Ceræ an. ʒ.ij. & ʒ.iij.
Sagapeni ʒ.ij.
Ammoniaci.
Terebenthinæ.
Colophoniæ.
Croci an. ʒ.j. & ʒ.iij.
Aloes.
Thuris.

Myrrhæ an ʒ.j.
Oppopanacis.
Styracis.
Galbani.
Mastiches.
Aluminis.
Fœnigræci.
Styracis rubri.
Bdellii an. ʒ.ij.
Lithargyri ʒ.jß.

Emplastrum hac forma concinnetur:

Sagapen galbanum, oppopan ammoniacum & pix vino liquentur & colentur, his colophoniam colatam, deinde styracem, mastichen, thus, myrrham & bdellium trita cretaque, paulo post iniice terebinthinam, alumen, litharg. & fœnigræcum. Coctum ex his emplastrum in aquam mergitur frigidã & subigitur manibus addito puluere aloes & croci, manibus semper vnctis oleo laurino, concinnantur magdaleæ.

Saguyerius.

Ceroma quo illinebantur Athlethæ parabatur ex oleo cum quodam terræ genere quod erat pertenue & albidum collectum in agro Albano non procul ab vrbe Roma. Sic & Ceroneum dictum puto hoc emplastrum à cera, quæ etiam Ceratum aut Cerotum nuncupatur: Est autem genus malagmatis quod vulneribus imponitur aut tumoribus,

aut aliis malis externis, quod igni oppositum molleſcit, ſed corpori admotum dureſcit & hæret pertinacius. Quæ ſignificatio omnibus congruere poteſt quæ ceram recipiunt, & nihilominus ad diſtinctionem quādam tribuitur hoc nomen quibuſdam & aliis non: ſicut omnes pilulæ dici poſſunt cocciæ, ſi κόκκου ceu grani rationem habeamus. Omnes enim dum deuorandæ offeruntur, grana referunt ſphærica figura, & tamen cuidam generi pilularum attribuitur hæc appellatio, vt ſupra viſum eſt. Cæterum per ſtyracem rubeam oportet intelligere corticem exteriorem fuſcum & aridum, qui remanet poſt lacrymam ſubactam & expreſſam.

Emplaſtrum oxycroceum,

Omnem quoque duritiem mollit, atque diſcutit, articulorum dolores & eos qui circum membranas ſunt oſſium, euocat atque diſperdit.

℞. Ceræ
Picis nauallis.
Croci.
Colophoniæ an ℥ iiij.
Terebinthinæ.
Galbani.
Ammoniaci.
Myrrhæ.
Thuris.

Maſtiches an ℥ j & ʒ iij.
Galbanum & ammoniacum.

Aceto liquantur atque colantur: pix dein colata additur, ad hac cera, mox colophonia & terebinthina, non multò poſt thus, maſtiche & myrrha. Coctum emplaſtrum in frigida mergitur, expreſſumque ſubigitur cum puluere croci, manibus oleo perunctis.

Saguyerius.

Ab aceto quod græci ὄξος, & croco denominatur hoc emplaſtrum quod omnem emollit duritiem & dolores euocat quorum cauſa circa oſſium membranas exiſtit, vt accidit in arthritide venarum; Imo & oſſibus fractis ſubuenit Picem naualem vocat Dioſcorid. zopiſſam, quæ nihil aliud eſt quam reſina cum cera deraſa è nauibus, quam aliqui vocant apochyma, id eſt, effuſionem.

Emplaſtrum de ianua.

Ad vulnera & recentia vlcera mirè efficax, inflammationem ſedat, detergit, agglutinat & carne implet, & ad cicatricem perducit.

℞. Succorum apii.
Plantaginis &
Betonicæ an ℔ j.
Ceræ.
Picis.
Reſinæ.
Terebinthinæ an ℔ ß.

In ſuccis reliqua tria ſenſim agitando co-

quantur ad succorum consumptionem, ac tum igni sublatis addatur therebinthina.

Saguyerius.

Aliqui nominant hoc emplastrum de betonica, & ab ea quæ cerebro dicata est, huic vim maximam tribuunt in vulneribus capitis. Alii ab authore vocant de ianua, qui ipso vsus est a duersus phlegmonem & inflãmationem, quoniã detergat, agglutinet & carne impleat, cicatricemq; inducat, vt & id quod ab excellentia facultatẽ vocatur gratia Dei, ex iisdem fere compositum.

Emplastrum gratia Dei.

Ex eadem ferè materia & ad eosdem vsus.

℞. Terebinthinæ lib. ß.
Resinæ lib. j.
Ceræ albæ ʒ. iiij.
Masticis ʒ. j.
Betonicæ.
Verbenæ.
Pinpinellæ recentium an. M. j.

Tunsæ herbæ ex vino albo coquantur dùm tabescant, liquor exprimatur in quo cera, resina & mastiche coquantur in idoneam emplastri consistentiam: igni sublatis terebinthina permisceatur.

Saguyerius.

Emplastrum de ianua & gratia Dei sunt sarcotica seu carnem generantia, & eorum vsus Chirurgis est frequentissimus, quemadmodum,

modum & illis quod Diuinum appellant, cuius facultas est mirãda invlceribus malignis, quoniã eorum sanioſam putrilaginem absumit eum detersione nouam carnem producendo cum cicatrice.

Emplastrum diuinum.

Ad maligna vlcera multò præstantius, eorum enim saniem ac putredinem detergit & absumit, nouam carnem profert & ad cicatricem perducit.

℞. g albani.
Myrrhæ an. ʒ. j. ʒ. ij.
Ammoniaci ʒ. iij. & ʒ. iij.
Oppopanacis.
Masticis.
Aristolochiæ longæ.
Æruginis an. ʒ j.
Lithargyri.
Olei communis an. lib. j. ß.
Ceræ nouæ ʒ. viij.
Thuris ʒ j. & ʒ. j.
Bdellii ʒ. ij.
Magnetis ʒ. iij.

Lithargyrum cum oleo agitando permiscetur, postea coquitur dum crassescat, tùm cera additur minutim cõcisa, ea liquata igni aufertur. Adduntur que galbanum, ammoniacum, oppopanax & bdelliũ ex aceto vel vino dissoluta, cocta & colata: deinde puluis inspergitur myrrhæ, masticis, thuris, aristol. magnetis: postremò æruginis, ne hac diutius

cocta emplastrum rubrum euadat.

Plantius in Empl. diuinum.

Emplastra quæ ad vulnera & vlcera describuntur, de ianua, de gratia Dei & diuinũ, ea quoque satis sunt, nec plura huc adferenda fuerant, nam emplastrum Oribasii duplex & emplastrum apostolorum comprehendũtur sub hoc diuino, quod in eosdem sint vsus, minus tamen efficacia.

Saguyerius.

Duo Emplastra apostolica describunt Præpositus & Alexandrinus, quæ cùm nihil aliud possint quàm tria præcedentia in vulnerum malignorum curatione, optima ratione sunt à Fernelio prætermissa. Quare autem his dederunt tale nomen ignoro, siquidem longè plura quam duodecim continent simplicia. Quod si mhi liceat quod coniicio effari, dicam nõ aliam ob causam sic appellata quam quòd rem hominum generi vtilissimã præstent, sicut & Apostoli præstiterunt, etiamsi res sint diuersissimæ.

Emplastrum ad herniam.

℞. gallarum.
Nucum cupressi.
Psidiæ
Balaustiorum.
Acaciæ.
Seminis plantag.
Seminis psillii.

Sem.

Sem. nasturtii.
Cupularum glandium.
Fabarum torrefactarum.
Aristoloch longæ & rotundæ.
Myrtillorum an ʒ. ß.

Hæp omnia pulueriſentur & in aceto rosato macerentur per quatuor dies, deinde torrefiant & exsiccentur.

Tum.

℞. consolidæ maioris & minoris.
caudæ equinæ.
Glasti.
Scolopendrii.
Rad. osmundæ regalis & filicis an ʒ. j.
Thuris.
Myrrhæ.
Aloes.
Mastiches.
Mumiæ an. ʒ. ij.
Bol armenæ lotæ in aceto.
Lapidis calaminaris præparati.
Lithargyri auri.
Sanguinis draconis an. ʒ. iij.
Picis naualis lib ij.
Terebinthinæ ʒ. vj vel quantum satis sit ad emplastrum fingendum.

Plantius.

Prætermissa hic quoque sunt alia emplastra adstringentia & corroborantia ventriculum, renes & vterum, quę non vsurpantur

& pro quibus alia quædam in rem præsentẽ præstitui solent: vt idcirco videatur hic emplastrorũ & aliarum compositionum numerus satis esse ad Pharmacopœiam & ad curanda summa morborum causarum & symptomatum genera: neque opus fuit Medicamentarium hunc librũ ociosis & superuacuis compositionibus implere, quæ non nisi frustrà & ad confusam multitudinem augendã recenseri possunt. Quæ autem compositiones ad peculiares quosdam & singulares affectus curandos vtiles existant, quia rarius contingunt, in propria singulorum curatione tanquam illis peculiares & accommodatæ tradentur.

Saguyerius.

Ab effectu nomen habet hoc emplastrum postremo loco descriptum, siquidem ex astringentibus componitur quæ peritoneum nimis relaxatam coarctant & intestini præpudiunt descensum, vnde herniæ curatio. Glastum autem satiuum eligendum est quo tinctores vtuntur, quoniã magis astringit & exsiccat quam syluestris teste Gal. 6. simpl. Mumiam officinarum censeo tanquam abominabile medicamentum esse reiiciendum. Sunt enim ossa & carnes cadauerum. Est itaque mumia quid dignum iis qui huic nomẽ dederunt, Persis videlicet, si credimus eiusdem farinæ authoribus Rasi nempe & Serapioni,

pioni, qui eam faciunt duplicem, vnam natiuam quæ est pisasphaltos Dioscor. & apud Auicennam vsui erat implendis corporibus mortuis, & sic ex infractu cadauerum more Persico & Mauritanico sepultorum constabat, & alteram factitiam, quando videlicet ex aloe, myrrha, croco & balsamo condiebãtur cadauera diuitum, vnde effluebat hæc mumia: sed vt cunque res habeat, semper, tale condimentum resipit aliquid humanæ carnis, cui nulla est vis astringens, & parum acceptum esse potest pharmacum, siue solum, id est, ex pisasphalto vt in pauperibus, siue ex aloe, myrrha & thure, vt indiciorum corporibus, sit paratum. Eius ergo vice in hoc emplastro aduersus herniam suaderem pharmacopœis, accipi parem quantitatem succi foliorum, corticis & ramorum vlmi, quæ omnia habent vim spissandi: aut humorem in eiusdem folliculis contentum, quem sæpissime sum expertus in herniis oppugnandis vtilissimum: quemadmodum & pappos typhæ quæ vulgo massa aut claua vocatur, qui excipientur succo foliorum quercus & plantaginis arnoglossę.

Lapis calaminaris, qui est Cadmia lapidosa vt multoties dictum est, vritur sæpius, & aceto restinguitur, vt in exquisitum leuorem redigatur, atque sic ptæparata vtimur quoties eam siccantem magis reddere vo-

lumus. Cadmiam veram acrem sua natura lauant in aqua rosarum & plantaginis.

Et hæc sunt quæ in Phamaciam Fernelii in vsum & Medicorum & Pharmacopolarum adnotare voluimus.

Deo sit honor & gloria.

FINIS.

INDEX

INDEX PHARMACORVM CONTENTORUM in hoc libello, pro ordine.

I. SYRVPORVM.

Syrupus	*Absynthii*	*fol.* 72
	Acidus simplex	11
	Adiantinus	42
	Arthemisię	84
	Byzantinus	36
	Catholicus	98
	Diacodion	53
De	*Althea*	79
	Endiuiæ	35
	Hyssopo	61
	Papauere	51
	Praśio	62
	Raphano	81
E	*Cichorio*	29
	Cortice mali Citrii	68
	Fumariæ	76
	Malis odoriferis	78
	Mentæ	71
	Radicibus	40
	Rosis siccis	48
	Scolopendr.	38

Stœchæ-

Stœchade 45
Succo Buglossi 67
Succo Limonum 21
Mitra Cydoniorum 73
Oxymel simplex 25
Oxysaccharum simplex 24

II.
Purgantium compositionum.

Benedicta laxativa 106
Confectio Hamech 108
Catholicus syrupus 98
Diacydonium Laxativum 100
Diacnicu electuarium 102
Diaphœnicon 104
Electuarum Catholicum 92
Diasaru 123
E succo Rosarum 100
E prunis & solidum 86.87
Maius 95
Simplex 92
Hyera simplex 110
Diacolocynthitos 114
Hydragogum maius ex Laureola 119
Minus 118
Syrupus Rosarum Infusarum pallidarum 96
Polychrestus 98
Unguentum è Lathyride 121

III. Ca-

III.
Catapotiorum formularum.

Pilula Assaiereæ 127
Aureæ 135
Communes 128
Coccia 138
De Agarico 136
Aristolochia 147
Cynoglosse 148
Eupatorio 129
E fumaria 135
Hyera simplici 126
Lapide Cyanea 142
Thyraclea 144
Ex Esula 145
Hermodactylis 139
Tribus 131
Pilula Imperiales 132
Mastichina 131
Polychreste 141
Ruffi 128
Sine quibus esse nolo 133
Stomachica 126

IV.
Antidotorum solidorum.

Aromaticum Rosatum maius 175
Dianthon 150

Dracala-

Diacalamynthes simplex 159
Diacrocu & Diacucurma 182
Diatreos simplex 157
compositum 158
Dialacca maior 185
Diamargariton frigidum 160
Diatragacanthum frigidum 154
Electuarium de gemmis 166
Diacalamynthes compositum 196
Diambræ 170
Diaspermaton 190
Diarhodon Abbatis 177
Diatrium santallon 179
Exhilerans falso Galeno ascriptum 188
Pleres Archonticon 151
Λύσων θερμόλυκον 191
Puluis Cardiacus 173

V.

Antidotorum humidorum.

Antidotus Alkermes 201
Analeptica 197
Diasatyrion 199
E Cocco baphico 201
E baccis lauri 204
Requies sine opio 211
Philonium 206
Mithridaticum 229

Theria-

Theriace Diatessaron 215
Andromachi Senioris 216

VI.

Trochiscorum, seu Pastillorum.

Trochisci Alipta Muschata 259
Albi Bechici 260
Alkekengi 246
Cypheos 237
Gallia Muschata 258
Halicacabi 146
Hedychroi 236
Narcotici 261
Scyllitici 235
De *Capparibus* 240
Eupaterio 243
E Caphuro 254
Lemnia terra 251
Myrrha 248
Vipera 234

VII.

Eclegmatum & conditorum.

Eclegma ad Aethma præstantiss. 266
E pineis nucleis 262
E scylla præstans 265
Sanum & expertum 264
Condita Suria 267

VIII. Suc-

VIII.

Succorum medicatorum.

Succus e Nucibus 270
E Morís 271
E Rsbes 270

IX.

Externorum Medicamentorũ:

Oleorum.

Oleum Absynthii 280
Amygdalarum dulcium 285
Amararum 289
Anethinum 285
Balaninum 296
Chamemelinon 281
Cydoniorum 278
E Castorio 291
E lateribusſiue philoſophorum 298
E ſcorpionibus 294
Euphorbii ſimplex 298
Hyoſciami albi 276
Iaſminum 284
Irinum 288
Laurinum 291
Liliorum 283
Leucoii lutei 284
Lumbricorum 287
Mandragoræ ſimplex & compoſitũ 277
Maſtichinum 279
Melinum 288
Menta 280
Myrtinum 279
Nymphæ 275
Nardinum ſimplex & compoſitum 290
Oleum Papaueris 375
Ricininum 296
Roſatum 273
Rutaceum 289
Terebenthina 295
Violatum 275
Vulpinum 293

X

Vnguentorum.

Vnguentum Agrippæ 315
Ægyptiacum 326
Album 306
Aornon ſiue Auxiliare 317
Aſtringens 307
Apoſtolorum ſiue aureum 325
Baſilicum Maius & Minus 324
Citrinum 328
Diachalciteos 312
Dialchaas 312
Diapompholygos 310
Ex enula 327

Galeni refrigerans 302
Martiatum magnum 318
Palueum 309
Populeum 304
Resumptiuum 313
Rosaceum 304
Rubrum exsiccans 311

XI
Emplastrorum.

Emplastrum ad Herniam 344
Ceroneum 338
De ianua 341
Diuinum 342
Diachylon Simplex 331
Magnum 332
E baccis Lauri 337
Melilloto 335
Mucilaginibus 333
Gratia Dei 342
Oxycroceum 340.

FINIS.

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
1800,-
Nº 224017